Vincentius Poli

AD SACRAE FACULTATIS LAUREAM

PROVINCIA DI TORINO
BIBLIOTECA
Legato Anselmi
OA - b
258

DE BETHULIA PER JUDITH LIBERATA
EXERCITATIO
ACADEMICA
HABITA
AUGUSTÆ TAURINORUM
IN ÆDE D. FRANCISCI A PAULA
AB AUDITORIBUS
JOANNIS BERNARDI VIGI
RHETORICÆ PROFESSORIS AD R. ATHENÆUM
DIE VI. JULII ANNO MDCCLVIII.

AUGUSTÆ TAURINORUM
Excudebant ZAPPATA, & AVONDUS
Impreſs. Archiep. ac Illuſtriſs. Civit.

PROVINCIA DI TORINO

Conamur tenues grandia.

Hor. Od. 6. lib. I.

AD ACADEMICAM

EXERCITATIONEM

PRÆFATIO.

CUM in dubium revocari nullo modo poteſt, A. O., quin eorum lectio, quæ Dei ipſius adflatu divinis conſignata literis ſunt, ad mores hominum aut emendandos, aut erudiendos, & ad virtutis, pietatiſque amorem excitandum maxime proſit: tum pro certo habendum ego ſemper multorum monitis, ac præceptionibus exiſtimavi non mediocriter quoque ad eloquentiæ, doctrinæque ſtudium eamdem conferre. Ut enim optimis exemplis, utiliſſimiſque documentis referta ea ſunt, quibus & a vitiorum fœditate facile abduci, & ad eximiam quamque virtutem informari animus poteſt: ita multa paſſim in ipſis, & in poëticis præſertim adeo egregie, & ad artis normam, ita dixero, ſcripta inveniuntur,

ut mirum in modum intimis ſenſibus adficiatur qui legit, ſi modo literarum, ac doctrinæ plane rudis non eſt; neque fieri omnino poſſit, ut aliquid ſemper fructus ab hujuſmodi lectione ad excolendum, formandumque ingenium non percipiat. Neque vero is ego ſum, ut omnes prorſus virtutes, quibus ſingularem in modum ornata, ac diſtincta tam præſtantia, ac revera divina ſcripta ſunt, penitus internoſcere, ac ſingillatim hic perſequi poſſim. Præter enim quamquod noſtram hanc in ætatem profecto id non cadit, neque hujus eſt temporis, noſtrique inſtituti rem tantam, tamque arduam, difficilemque conari, vix primoribus a me labris, quod ajunt, eorumdem dignitatem, præſtantiamque guſtatam adhuc fuiſſe ultro fateor. Illud autem tantum, quod a ſapientiſſimis, & eruditiſſimis viris accepi, breviter dicam, non modo nullam omnino in optimis quibuſque & latinis, & græcis poëtis laudem elucere, quæ ſacris in literis deſideretur; ſed multas in his vere eximias, & omni commendatione majores ab æquis, & perſpicacibus rerum æſtimatoribus reperiri, quas fruſtra in illis requiras, aut certe non adeo inſignes in eis, nec adeo illuſtres eſſe nullo modo inficiari poſſis. Et ſane (ut rem ipſam propius jam adtingamus) quibus tandem in ſcriptis profanorum hominum cujuſcunque ætatis eam poteris

ris ſententiarum ſublimitatem ac pondus, eamque vim invenire, quæ non ſine maxima admiratione in multis regii Vatis pſalmis, in libris Job, in Apocalypſi, in Canticis, in omnibus denique Prophetarum omnium, ac Iſaiæ, & Jeremiæ potiſſimum vaticinationibus paſſim perſpicitur? Nam de aurea illa, & non imitabili ſimplicitate, quæ divinarum literarum peculiaris virtus, ac veluti character eſt, nihil dicam: nihil de Salomonis Canticorum ſuavitate revera ſingulari, quæ qui legit, divina quadam vi ſe ſe abripi ſentit, neque quidquam perfectius in eo genere, ſuiſque numeris magis abſolutum ſcribi poſſe fateri cogitur: nihil denique de figurarum vehementia, quibus ita ornatæ pene innumeræ graviſſimæ ſententiæ ſunt, ut non modo magnam in legentium animis admirationem, vel decies perluſtratæ, uſque gignant, ſed omnem eos in partem verſare, atque impellere facile valeant. Scilicet non ab inani, & commentitio illo Numine, cujus opem adeo ſæpe profani poëtæ in operum ſuorum exordiis implorant, quoque agitante caleſcere ſe ſe, & concitari dictitant, adflati illi fuere divini ſcriptores, hominesſque ſanctiſſimi, ſed ab ipſo & ingenii, & doctrinarum omnium largitore Deo, cujus etiam vocem audire, & colloquio frui ſæpe numero illis licuit: tamque puro ex fonte admirabilem illam vim, ac ſua-

 vitatem

vitatem hauſerunt, quam nulla non ætas mirata hactenus eſt, & , dum hominum genus erit, ſemper mirabitur. Atque hinc eſt, quod Homerus (ut cæteros ſileam), omnium nimirum optimus poëta, &, ulla ſine controverſia, ſapientiſſimus, non modo tam excellentia illa divinarum literarum monumenta evolvit (quod quidem certiſſimis argumentis a multis eruditis, & gravibus viris probatur), ſed ita attente evolvit, ut multa etiam ab illis acutiſſime, ac ſapientiſſime dicta, atque adeo quaſdam etiam locutiones, rationeſque dicendi ſua in ſcripta transtulerit. Hincque etiam intelligere licet, & aperte libereque adfirmare, quanto poëtis omnibus cum græcis, tum latinis elegantia, gravitate, ſplendore, ſuavitate, omni denique virtutum genere Homerus præſtat, quippe in quo vires omnes ſuas effudiſſe profana poëſis videtur: tanto Homeri ipſius poëmata illis concedere, de quorum laudibus pauca hæc, veluti ex tranſcurſu, præfatus ego ſum, utpote ex quibus ſplendidiora, ita dixero, lumina atque ornamenta delibavit, quibus ſua ipſe Opera, omni cum poſteritate adæquanda, illuſtraret. Quorſum autem hæ quantulæcunque laudes divinarum literarum, vobis quidem omnibus, Auditores eruditiſſimi, multo perſpectiores, quam ut a me, aut cujuſquam vel diſertiſſimi oratoris verbis explicari ſatis

com-

commode poſſint ? Ut nimirum noſtri ratio conſilii, quam paucis jam exponere pro virili adgrediar, cunctis , ut ſperamus , probetur . Quum enim maxima nos cupiditas aliquod vobis ſpecimen ſtudiorum noſtrorum aliquando præbendi, jam inde ab eo tempore tenuerit , cum vos vidimus tam benigno vultu , pro ſingulari veſtra humanitate , qua non mediocriter quoque incitati fuimus , condiſcipulorum noſtrorum conatus publice excipientes ; ex divinis literis maluimus materiem ſumere noſtræ hujus exercitationis , quam aut ex profanis quibuſcunque Scriptoribus , in quibus verſari cum fructu noſtra etiam opera poſſet, aut aliquid in medium adferre noſtro velut ex penu depromtum , noſtroque marte excogitatum . Quumque tunc animadverterimus, aut certe animadvertere viſi fuerimus , vobis probata præ ceteris ea fuiſſe , quorum argumentum ex libro Judith deſumtum fuit , eamdem hanc nos rationem quoque inire conſtituimus ; eaſque orationes , ut noſtræ tulere vires , heroicis verſibus perſecuti ſumus , quæ in eodem libro reliquæ erant , ſimulque Judithæ profectionem ad Holophernem , audaciſſimique conſilii ab ea capti rationem narrandam ſuſcepimus . Haud equidem ſumus neſcii non poſſe hujuſmodi librum , utcunque præſtantiſſimum , atque optimum , nec ſtyli ſublimitate , ac ſplendore , nec ſententiarum

gravitate, ac vi, nec ullis denique illuſtrioribus dicendi luminibus, ornamentiſque cum iis comparari, quos jam antea laudavimus. Sed enim præterquamquod magis idcirco noſtris viribus accommodatus nobis viſus fuit, illud etiam in mentem venit plurima hinc nos documenta ad vitam recte inſtituendam poſſe haurire, quæ, tametſi in illis etiam, ſi diligenter adtendatur, inſunt omnia, non adeo tamen promta, atque expoſita, ut ita dicam, ſunt, noſtramque idcirco intelligentiam, captumque facilius effugerent. Quanquam non omnino tamen, ſi modo id quoque ſpectare velimus, iis caret virtutibus, quas in illis adeo inſignes, atque admirabiles eſſe contendimus: neque quidquam, ut operi hiſtorico ei deeſt, quominus inter optima, plurimique facienda ſcripta recenſendum eſſe videatur. Qua enim gravitate, verborumque vi, ut cetera omittam, perſtringit Judith, carpitque Hebræorum procerum imprudentiam, quod tempus ipſi veluti præfinivisſent, intra quod divinitus vellent a ſe teterrimum, ac ſummum, in quo jamdiu verſabantur, periculum pelli? Quam accommodatis, & ad movendum aptis ſententiis ruenti patriæ auxilium a Deo O. M. implorat? Aut quantum ſuper ſe ipſa, de divina potentia loquens, adſurgit, verborumque magnificentia ejus magnitudinem quodammodo imitatur? Quam porro blanda ſimul,

& cauta eſt, dum Holophernem adloquitur, ut & inſinuet ſe ſe ejus in animum, & ſui eum amore, ſalva dignitate, pudicitiaque, illaqueet, ac incendat, magnanimumque captum conſilium perficiat? Jam, quum obtruncato hoſtium duce, & profligatis innumeris copiis, & exemta penitus ab omni metu, ac periculo patria, ſervatori, ac vindici Deo gratias perſolvit, civeſque ſimul univerſos ad concinendas ejus laudes invitat, quam delectis verbis, feſtiviſquè utitur, adeout ipſa quoque oratio triumphare gaudio, prope dixerim, atque exultare videatur? Tota vero celeberrimi facti hiſtoria, cum ex rhetorum præceptionibus non exigua cum laude ſcripta profecto eſt; tum ita recte, & ordine concinnata, ac compoſita, ut vix ferenda propterea eorum videatur temeritas, qui nimis acri eam judicio percenſentes non revera facta ea fuiſſe, quæ continet, adfirmaverunt, ſed acute, ſollerterque a poëta aliquo neſcio quo eo conſilio conficta, ut, vexante Antioco illuſtri Judæos, divini ſpe auxilii hac ipſi imagine erigerentur ad incommoda quæque, ærumnaſque parato animo, firmiſſimoque perferenda. Sed infinitus ſim, Auditores, ſi vel hujus tantum præſtantiſſimi Opuſculi, quod perexigua, ut noſtis, ſacræ Hiſtoriæ pars eſt, laudes perſequi pro meo ingenii modulo velim: jamque longius fortaſſe,

quam

quam par ſit, mea hæc provecta eſt oratio. Quamobrem finem jam faciam dicendi, ſi prius etiam atque etiam vos obſecravero, ut, ſi tenues grandia revera conatos nos eſſe intelligitis, qua tunc humanitate, cujus nos teſtes, ac veluti ſpectatores exſtitimus, erga condiſcipulos noſtros uſi fuiſtis, quaque jam tum, quaſi ſignum aliquod nobis omnibus, ad bene de periculo hocce noſtro ſperandum, ſuſtuliſtis, eadem nos quoque nunc, quæ pro noſtrarum tenuitate virium elucubravimus, in tanta hac loci amplitudine, frequentiſſimoque conſeſſu, non ſine magna animi perturbatione, adferentes, haud longo temporis ſpatio ſuſtentetis.

Iſraë-

Iſraëlitarum terror ob adventum Holophernis Aſſyriorum Ducis, & Eliachim Summi Sacerdotis eos confirmantis ſolicitudo, ac ſedulitas ex Cap. IV. *Quibus additur Bethuliæ obſidio ex initio Cap.* VII.

NARRATIO.

INterea Solymas ſævus jam rumor ad arces
Venerat, & cunctas late pervaſerat urbes,
Adventare Ducem, quo non truculentior alter,
Aſſyriaſque manus vaſtantes omnia flammis:
Semianimeſque metu matres, trepidæque puellæ
Suppliciter triſtes ſibi tundere pectora palmis,
Et lacrymis, gemituque replent, mœſtoque ululatu
Omnia; tum inſinuans cunctis per pectora terror
Sollicitos paſſim exagitat juveneſque, seneſque.
At Pater Eliachim, rerum cui ſumma poteſtas
Sacrarum, ac templi, ſqualenti in veſte, premenſque
Corde metum, pavidas percurrit ſedulus urbes,
Et populos durare jubet, precibuſque ſupremum
Implorare Patrem, & cumulari altaria donis:
Claraque legiferi memorans, rerumque potentis
Facta Ducis, phariis atavos qui eduxit ab oris,
Infra-

Infractaſque Amalec acies, partoſque triumphos,
Non ferro, ac vi ulla, at lacrymis, votiſque precantum,
Spem totam hortatur divino in numine poni.
Nec tamen abſiſtit cogi agmina quæque ſub arma,
Telaque tergeri, ſubigique in cote ſecures
Præcipere, ac vallis, congeſtoque aggere paſſim
Oppida muniri, & robur, floremque juventæ
Præmitti, cuncta obſideant qui anguſta viarum,
Notaque ſe objiciant denſi ad divortia, & altos,
Qui ſuper impendent, montes cuſtode coronent.
At magis atque magis, velox ubi nuntius aures
Attigit, atque arma admonuit, bellumque parari,
Protinus Aſſyrii trux ardet, & æſtuat ira;
Non ſecus ac imo fervent undantis aheni
Incluſi latices, cum valdius ignea circum
Flamma furit, ſubterque, & cum vapor ater ad auras
Evolat, ac labro vix ſe ſe continet humor:
Ardenteſque oculos torquens galileïa ad alta
Culmina per ſolium jurat, ſceptrumque Nabucchi
Delere audacem, penituſque exſcindere gentem,
Oppidaque eruere, & circumdare mœnibus ignes,
Innumeroſque agris adtollere ſtragis acervos.
Jamque aderat regum exuviis, ſpoliiſque ſuperbus
Debellatæ Aſiæ, tumiduſque feroxque ruebat
Igne ſata, & campos vaſtans, & tecta Damaſci,
Terroremque oculis ſpirans, cædeſque minaſque:
Montano veluti decurrens vertice torrens,
Cum tumido oppoſitas evicit flumine moles,
Horrendumque ſonans ſilvas populatur, & arva.
Jamque & Ithuræam victor, ſiccoſque Trachonis
Ex-

Excurrens campos, & quos gens Aſere nata,
Nephtalidæque colunt, opibus ſpoliaverat omnes
Late urbes, pubemque trahens in prælia ſecum
Vaſtabat domitos paſſim cultoribus agros;
Præcipitique gradu pharias tendebat ad oras.
Nec vallo urbs ulla, ac munimine freta, ſituque
Vim tantam armorum valuit, cædeſque nefandas
Propulſare armis, ſævumque inhibere furorem,
Donec eum excepit Zabulonis nomine quondam
Clara Tribus (ſic Iſacidæ ſua nempe vocabant
Regna) potenſque armis Tribus, & glebæ ubere felix.
Eſt illo in tractu, galilejaque litora contra
Præruptus circum, rapidumque extenſus ad Eurum
Collis, & hinc humili multus Gabaræ imminet urbi;
Hinc Abelinam arcem (Belmam dixere priores)
Et Nehelam ſpectat, Damnamque, Aſatothque jacentes.
At parte ex alia felices munere Bacchi
Dotha ſuos colles oſtentat, & æquora læta.
Hoc autem ex Clivo, Iſacidum dum regna manebant,
Bethulia ad cælum duplici circumdata muro
Tollebat caput, & firmo munimine tuta,
Claraque tum bello, & cunctas memorata per oras,
Nunc tantum veteris veſtigia pauca ruinæ,
Exeſæque ædes, confuſaque rudera reſtant.
Hancque inter, Neelamque feracis ad hoſtia Nili
Planum iter Aſſyriis patria e regione patebat.
Ergo ubi trans Amathar greſſus, Jaſſamque, propinquam

Bethuliam

Bethuliam aſpexit, eductaque mœnia cælo,
Vertice delapſus (medio nam vertice montis
Agmina deduxit) ſubjecta in valle reſedit:
Caſtraque metatus denſato milite complet
Quidquid agri Belmam jacet inter, tectaque Dothæ;
Horrentique urbem cingit, denſaque corona.
Non tot erythræo volvuntur in æquore fluctus,
Triſtis ubi erumpit, Borea bacchante, procella:
Vixque tot æſtivo flaveſcunt tempore ariſtæ
Sardoo in campo, libicove in litore arenæ,
Quot galeæ caſtris, enſeſque, haſtæque coruſcant (*a*).

Achioris Ammonitarum Principis ad Holophernem, hebræa de gente a primoribus exercitus multa percontatum,

ORATIO

Ex Cap. V.

CUncta equidem, o Aſſyriæ Ductor fortiſſime gentis,
Expediet, ſi audire libet, tuus Achior unus,
Nec quæ fama refert tali de gente tacebit
Ipſe tibi, nec quæ ſedeat ſententia menti.
Sit modo fas illam veris exponere dictis.
Principio Euphratis ripas, Nabathæaque rura,
Clara ubi Edeſſa caput, Carræque ad ſidera tollunt,
Tha-

(a) *Conſtat ex initio Cap.* VII. *ver.* 2. *pedites fuiſſe* 120000., *Equites vero* 22000. *quibus acceſſere multi, quos Holophernes invitos trahebat ſecum quacunque tranſiret. Græcus autem interpres non centum & viginti millia tantum, ſed centum & ſeptuaginta pedites fuiſſe ſcribit:* χ. πεσῶν ἑκατὸν ἑβδομήκοντα. κεφ. ζ

Thariades, genus unde illis, & origo, tenebat.
Tum Deus ipſe hominum ſummus ſator, atque
Deorum,
Ut perhibent ipſi, ſacri cui turis honores
Reddebant uni, patria decedere terra
Juſſit, & in campis placidi conſiſtere Orontis.
Magnus ibi populus paullatim principe ab uno
Deductus: ſed & hinc tandem diſcedere juſſi
In Charan læti ſedem poſuere, noviſque
Exſtructis domibus multos habuere per annos,
Donec eos triſtis rerum penuria adegit,
Pallidaque eſuries Pharias concedere in oras.
Plurima felices ibi luſtra egere, nec ullo
Niliacos inter Pharao diſcrimine agebat.
Ac veluti ſparſum præcultis ſemen in agris,
Terræ quod gremio exceptum ſe tollit ad auras,
Herba prius, mox innumeras progignit ariſtas,
Speſque avidas implet, ſuſpenſaque vota coloni:
Haud aliter crevere illic labentibus annis;
Ut citius flavas ſinuoſo in litore arenas,
Aut ſtellas poſſis cælo numerare micantes,
Quam quos Abramidas genuit Mareotica tellus.
At poſtquam ditione premi cœpere ſuperba,
Servitioque fero, precibus tunc Numen amicum
Permotum ac lacrymis, quibus ora, ſinumque ri-
gabant,
Cedere eos monuit, lætas & quærere terras;
Eripuitque jugo duri, immitiſque tyranni.
Quid referam quantis fuerit ſigniſque, miniſque
Admonitus Pharao cunctos dimittere iniquo,
Immanique jugo? Sed enim dum durior ipſe
Semper, & immotus fugientibus inſtat, & urget,
Cum

Cum ducibus, turmiſque ſuis perit obrutus undis.
Namque ubi cum patribus pueri, innuptæque puellæ,
Et pavidæ matres, acriſque, ardenſque juventus,
Invalidique ſenes vicina ad litora rubri
Pervenere maris veſtigia certa ſecuti:
Cumque furore amens Rex ipſe inſtaret, & omnes
Duceret ira ardens, peditumque, equitumque catervas,
Et rapidos currus, totam quo exſcindere gentem,
Sumereque audaci pœnas de ſanguine poſſet,
Conſtitit in montis faciem, mirabile viſu,
Hinc atque hinc ponti ſuſpenſa volubilis unda;
Et pavidum medios clarus Dux fortibus auſis
Per fluctus Populum ſicca tranſmiſit arena.
At Pharias acies peditumque, equitumque ſequentum,
Et galeas, ac ſcuta virum, curruſque, duceſque
Obruit ingreſſos ſimul omnes unda relapſa.
Interea montes felix Gens munere Divũm
Vicinos ſubiit, curaque, metuque ſoluta;
Tuſque adolens meritas reddebat Numini amico
Noctes, atque dies grates, cæloque ferebat
Laudibus immenſis ſanctum, ac venerabile nomen:
Deſertoſque locos percurrit, & invia Sinæ
Saxa quaterdenos annos, monſtrante coruſco
Igne viam rutilæ formam referente columnæ.
Mira illic virga undas edulcabat amaras
Numinis illius monitus Dux; ipſaque purum
Ejus ad imperium reddebant ſaxa liquorem.
Quin etiam inſolitam ſuffecit ab æthere Genti,
Ambroſiamque eſcam Deus idem ad munera largus,
Roris quam ritu ſeras dum veſperus horas

Vexerat

Vexerat, ipſe ſtatim cælo mittebat ab alto.
Singula quid memorem? Sine telis illa, ſine arcu,
Ære ſine, & clypeo populos, Regeſque ſuperbos
Contudit, ac leges victrix, & condidit urbes.
Nec Chanaan illi populiſque, opibuſque potentes
Magnanimi Reges valuere obſiſtere, & armis
Frangere quos profugos, & egenos omnia circum
Regna errare actos fato meliore videbant.
Bellipotens etenim ſuus ille in bella ruebat
Arma gerens Deus, & pedites equiteſque fugabat.
Ipſe repugnantes dabat hoſtes ſternere, & urbes
Expugnare, & agris victos expellere avitis.
Scilicet hæc ipſis conſtabant præmia honorum,
Quos ſcelerum puri reddebant rite precantes.
At quoties patrios auſi contemnere ritus
Externos coluere Deos, factiſve nefandis
Neglexere ſuum, pœnas uſque, illico in iras
Conceſſi, inque probrum, victi, ſtratique dederunt,
Ludibrioque habiti, vinctis poſt terga lacertis,
Poſtque rotas rapti, peregrina in Regna abiere.
Sic odit Deus ille malos: ſic impia facta.
Nec tamen interea lacrymas, gemituſque precantum
Ipſe tenax iræ ſpernebat, crebraque vota,
Si veniam tandem, & finem longique, graviſque
Exſilii triſtes, tactique dolore petebant:
At placido afflictos ſpectans tunc denuo vultu,
Ærumnaſque graves miſerans, & triſtia fata
Servitio ereptos in priſtina Regna vocabat,
Everſaſque domos, & templa, atque oppida rurſum
Exſtruxiſſe dabat, celſaſque educere moles.
Quare age lux ævi, Dux inclyte, magnaque noſtri
Gloria, qui factis imples præſtantibus orbem,

Mores o, vitamque hominum, quos perdere bello
Jure paras, prius explora, & cognoſcere tende,
Num patrias fœdo violarint crimine leges,
Quo Deus iſte in eos dignas conceperit iras?
Nec mora, ſi ſontes, vallum ſuperemus, & alta
Mœnia ſecuri, mediamque ruamus in urbem,
Ut meritas ſumas inimico a ſanguine pœnas:
Spondeo namque tibi magnis digna omnia cœptis.
At ſi nullius ſunt facti labe notati;
Si ſcelerum puri, nec eorum ſummus, & acer
Eſt illis Vindex infenſus, tendere contra
Parce, nec incerto vitam committe, decuſque
Aſſyrium marti, vulgi ne fabula ſimus.

Holophernis ad eumdem Achiorem

RESPONSIO

Ex eodem Cap.

CUncta tuum recident jamdudum, futilis augur,
In caput hæc, nobis quæ tu diſcrimina fingis.
Quis Deus iſte, ſuam qui gentem proteget armis,
Quemque ipſi perhibent hominumque, Deũmque Satorem?
An vero ignoras aliud non eſſe, Nabucchum
Si excipias, Numen, nec fingere cuique licere
Nomina vana Deũm? Quem ſane . . . at ut exitus ipſe
Augurium falſum, veſanaque dicta refutet,
Jamque uni diſcas adolendos turis honores

Aſſyrio

Aſſyrio Regi, terras qui numine torquet,
Haud mora, ad obſeſſos ipſis ſociandus abibis,
Ut, ſi defenſum te det Deus ille, ſuoſque,
Nos feſſi obſidio valida fugiamus ab urbe,
Et bello indecores, & vulgi fabula ſimus;
Tu vero victis impune illudere poſſis:
At ſi templa ſimul cum tectis cuncta videbis,
Indignaſque aras meritos conſidere in ignes;
Cives ſi cunctos nullo diſcrimine cædi;
Tum te denſa tegat telorum ferrea nubes,
Multigenuſque tibi pectus tranſverberet enſis.

Achior ejuſdem Holophernis juſſu ſub mœnia Bethuliæ raptus, arbori ibi adligatur, ut in hoſtium manus incidat: illi autem, derepente ſupervenientes, ad Oziam eidem urbi Præfectum eum ducunt.

NARRATIO

Cap. VI.

PRotinus arreptus, manibus poſt terga revinctis,
Hoſtilem contra (nam ſic præceperat ira
Percitus Aſſyrius) trahitur miſer Achior urbem:
Qualis ubi vitta, & florum redimita corollis
Victima, clamoſa vulgi ſtipante caterva,
Ut cadat, ad ſacras ſtabulis deducitur aras.
Ardua ſurgebant ſummo de culmine montis
Mœnia, quæ innumeris Holophernes cinxerat armis;

Difficilemque aditum rupes, exciſaque ſaxa
Reddebant, validoque viæ munimine ſeptæ.
Hinc atque hinc gemini, trepidis fiducia rebus,
Tollebant ſe ſe munito vertice clivi,
Aſſiduaque illos cives ſtatione tenebant.
Hos igitur vinctum ſub clivos Achiora ducunt
Delecti pueri clypeoſque, enſeſque gerentes:
Atque ubi proſpiciens venientes culmine ab alto,
Præſumenſque animo prædam cuſtodia contra
Irruit inſidias metuens urbique, ſibique,
Arboris ad truncum torto jam fune ligato
Achiore, præcipiti repetebant caſtra regreſſu.
At vigiles hoſtem ſuſpiria longa trahentem
Illico corripiunt, ducuntque per avia ad urbem.
Jamque propinquabant portis, patremque petebant
Oziam, populum cui cura, urbemque tueri;
Cum ſubito & juvenum, & patrum ſimul adſtitit ingens
Circumfuſa manus, propiuſque accedere certant.
Quiſque ſuos cives ubi ſit, vel quomodo captus,
Quodque viro nomen, quæ ſit fortuna requirit.
Interea ſummi ſuccedunt Præſidis altis
Sedibus, & rapti memorant caſum hoſtis, eique
Protinus Ozias manicas, atque arcta levari
Vincla jubet, poſitaque ipſum formidine fari;
Qua ſit gente ſatus? cur vinctus? curve relictus?
Infenſo ne animo veniat; an fors ſit amicus?
Ille manus tendens hilari ſic voce profatur:
Hoſtis ego veſter, dum me crudelia fata
Cogebant, fateor, multiſque ex millibus unus
Ipſe fui, Aſſyriis quos caſtris maximus armis
Addidit, & victis Holophernes, atque ſubactis
Urbi-

Urbibus, ac populis ſcelerata in prælia traxit.
Nunc fas crudelem ductorem odiſſe, ſuoſque,
Signaque, quæ invitus, fato poſcente, ſequebar.
Non adeo magnus veſtra nos dividit urbe
Tractus, & hic etiam mea, credo, patria nota eſt,
Cujus agros omnes vaſtavit, & inclyta bello
Mœnia, nec templis parcens, ariſque Deorum,
Nec laribus bellua ductor truculentior omni:
Scythopolin dixere patres, & conditor urbem.
Nec quidquam nobis veniam, pacemque rogaſſe
Profuit, & campos, urbeſque, armentaque, oveſque,
Fortunaſque omnes, atque ipſam dedere vitam.
Oratorum etenim primum, qui tempora olivæ
Præcincti ramis facti, infectique ferebant
Magnum auri numerum, fulgenti in veſte, verendum
Splendorem, atque decus, & verba precantia ſprevit:
Mox campis infeſta ferens, atque urbibus arma,
Faſque omne abrumpens imis e ſedibus alta,
Proh dolor! evertit, viſu miſerabile, Divũm
Templa, domoſque una cunctas populavit & aras,
Et pubem totam ſcelerata ſub arma coëgit.
Quid referam quot regna brevi, quot ceperit urbes:
Quotque repugnantum replerit ſanguine foſſas?
Audiſtis certe quoque vos cuncta impia facta,
Quorum fama ſonat, totum quæ commovet orbem.
Atque utinam quæ nos paſſi, quæ plurima regna,
Vos ſaltem effugere antiqua cum laude queatis!
Sic veſtrum omnipotens vos Numen protegat, & vim
Tantam animis addat veſtris, ut fortia patrum
Æquetis facta, & magnos, claroſque triumphos:
Quos ego dum memoro, dum vos obſiſtere poſſe

Contendo, ætherei ſi vobis Rector Olympi
Adſit, & auſpiciis jubeat cuncta ire ſecundis,
Protinus ipſe furens tumidas exardet in iras,
Crudelemque necem intentat, vincliſque gravatum
Me veſtra adduci jubet alta ad mœnia, ut omne
Vobiſcum ſubeam excidii, exitiique periclum,
Atque avidos oculos infando funere paſcam,
Si veſtros ferro muros exſcindere, & altis
Turribus, & tectis liceat, templiſque potiri.
Quare agite, o ſummo Superũm Gens cara Parenti,
Quem colitis, precibuſque illum, votiſque vocate,
Ut procul hinc facilis tanta hæc diſcrimina pellat
Ipſe armis certans, inimicaque tela retundat;
Neu ſua templa ſinat temerari, tectaque flammis
Deleri, & veſtras crudelibus, atque ſuperbis
Ludibrio natas, ac matres hoſtibus eſſe.
Veſter ego ſocius, ſi, ut ſpes, me nemo recuſat,
Omnibus in pugnis adero, ſummiſque periclis:
Nec me crudeles acies, inviſaque caſtra,
Quo res cumque cadat, unquam liquiſſe pigebit.
Vos, veſtraſque aras, & non violabile Numen
Teſtor, ait. Cui ſic populi Pater, atque ſupremus
Arbiter, & belli, & pacis, cui ſumma poteſtas:
Quiſquis es Aſſyrios hinc jam oblivIſcere, & urbem
Sit tibi communem nobiſcum cura tueri.
Noſter eris, quando huc cœlum te traxit amicum;
Indigenique loco mihi civis habebere ſemper.

Præ-

Præciduntur aquæductus; magnaque hinc trepidatio in obſeſſis ſummum in diſcrimen ob id adductis oritur.

NARRATIO

Cap. VII.

JAmque moræ impatiens, aditumque per avia
quærens,
Ceu Lupus, inſidias pleno qui tendat ovili
Ore fremens ſicco ſub noctem, & ſepta per-
errans,
Ter muros invectus equo Dux efferus altos
Luſtrarat, civeſque ferox invadere, vique
Irruere in portas per tela, enſeſque parabat:
Jamque faces omnis legio, ſcalaſque fremebat;
Cum proceres, lectique duces Ammonque, Moabque
Perſpexiſſe ferunt quæ ſit fiducia, quæque
Spes hoſti: haud telis illum confidere, & haſtis,
At muris, celſiſque jugis munimine tutis.
Prærupti, ut cernis, ſunt montes, culmina vallo
Septa; nec aſcenſus facilis; ſed vincere, dicunt,
Exiguo poteris poſt tempore, maxime Ductor,
Audaceſque hoſtes ulla ſine cæde tuorum
Delere, atque ſedens tectiſque, opibuſque potiri.
Eſt riguus celſos ſub colles, altaque contra
Mœnia fons ſcabro ſaliens de pumice ad auras.
Illuc ſe cives ſecreto calle frequentes
Cum ſitulis, urniſque ferunt, undaſque reportant
(Non etenim puteus patet ullus, venave in urbe)
Optatum ardori, & rebus ſolamen egenis.

Quin

Quin liquidum occulto laticem, rivumque perennem
Deducunt plumbo prope portam, & limina ad ipſa.
Huic igitur fonti turbam ſi accedere, & undas
Exportare vetes: alio ſi occluſa fluenta
Derives, jubeaſque locum defendier armis,
Non dubium, ſi cara ſalus, ſi vita cuiquam,
Quin tibi cuncta brevi, ſeque ipſos, tectaque dedant,
Ne rabido enecti pereant ardore bibendi.
Sic meritas tandem ſcelerato a ſanguine pœnas
Expoſces victor, triſti nec clade tuorum,
Ut fit, quam referes dulcis victoria emetur.
Talibus aſſentit dictis, cautumque ſupremus
Conſilium Ductor commendat, & illico multos
Delectos mittit pediteſque, equiteſque ſub alta
Mœnia, qui fontem circumdent, caſtraque ponant,
Deriventque undam latitanti calle fluentem.
Nec mora diſcedunt juſſi, & præcepta faceſſunt.
Turris erat vaſto ſuſpectu fortia juxta
Mœnia, qua campos auſtralia flamina verrunt:
Hinc ſoliti vigiles oculos per ſingula ferre,
Quæ facerent hoſtes, procereſque repente monere.
Ergo ubi proſpectant caſtris hoſtilibus undam
Occluſam, circumque acies horrentibus haſtis,
Continuo trepidam vulgatur fama per urbem:
Ac veluti, infeſta cum grandine inhorruit æther,
Adtritas ſpectans ſegetes, viteſque colonus
Luget inexpletum, & gemitus dat pectore ab imo;
Haud aliter pavidæ matres, trepidæque puellæ,
Plebſque omnis ſolvunt in amaros lumina luctus.
At pater Ozias duplices ad ſidera palmas,
Luminaque adtollens triſti ſic voce precatur:
Summe Parens, Abræque Deus, Iſacque, & Iäcob,

Qui

Qui genus hoc noſtrum illorum de nomine dictum
Juſſiſti his terris conſiſtere, templaque, & urbes
Condere, ſi grati tibi ſunt quos vovimus aris,
Et quos rite tuo mactamus nomini honores:
Si ſine pace tua, atque invito numine bellum
Haud gerimus, da tecta, Pater, vitamque tueri
Poſſe, nec Aſſyriis nos trade, Ducique ſuperbo.
Cernis ut inſultet miſeris, tumiduſque ſecundo
Marte ruat? Quin templa ſimul dare, tectaque flammis,
Et totum Judæ nomen delere minatur.
Quis vero heu! tandem ferrumque, faceſque ferentem
Audeat obniti contra, atque obſiſtere, ni Tu
Juveris auxilio, cui belli æterna poteſtas?
Aut quid tot gentes olim ſuperaſſe juvabit
Te Duce, totque tuo læti evaſiſſe pericla
Numine, & auſpicio, ſi nunc uno ordine cuncti
Decidimus ferro abſumti, flammiſve, ſitive?
Quid ſi hæc nunc illis exſcindere mœnia detur,
Tectaque diripere, & capta dominarier urbe,
Quis tandem impediat, quin recto hinc tramite ad altas
Contendant arces, ubi ſacri fæderis Arca,
Juſſaque legifero tua nobis tradita Patre,
Et templum, toto quo nil auguſtius orbe?
Ergo tuas aras, & ſi quid ſanctius illis
Eſſe poteſt, manibus ſterni patiere cruentis;
Noſque tuum populum ſcelerata ſtrage aboleri?
Nec Te priſca fides, pietas nec ſumma parentum,
Nec noſtræ effuſæ lacrymæque, preceſque movebunt?

At

At meritam ingrati culpis ſuccendimus iram.
Quæ mage digna Deo res eſt, quam parcere, opemque
Subjectis præbere, ſuum qui Numen adorant?
Parce tuo generi, Pater, & miſerere tuorum.
Quod te per fœdus, ſacra quod conditur Arca,
Per tua ſacra rogo, per ſpem Venturi, & ab alto
Mittendi cœlo, qui noſtra piacula ſolvat.

Bethulienſium in ſummo urbis diſcrimine de facienda ad Aſſyrios deditione apud Oziam tumultuoſe agentium.

ORATIO

Cap. VII.

EN quo nos tandem, dum te nihil ira, minæque
Impavidum hoſtiles, & aperta pericula terrent;
Dum veniam, Ozia, pacemque expoſcere verbis
Supplicibus renuis, duræ inclementia mentis
Perduxit miſeros. Urget jam tecta ſub ipſa
Hac fruſtra evitata tenus nos effera diri
Vis fati, nullamque licet ſperare ſalutem.
Fruſtra arcent hoſtem, læti diſcrimina parva,
Mœnia, vimque omnem, ſcelerataque bella propellunt;
Namque domi heu! paſſim, peragit dum mollia lentus

Otia marte ferox hoſtis, tumiduſque ſecundo,
Deficimus cuncti; quoſque ille abſumere ferro
Haud potuit, nullo indecores diſcrimine ſternet
Dira, & acerba ſitis, quæ jam flagrantia torquet
Guttura, & inſinuans toto ſe corpore ſenſim
Viſcera jamdudum, ac feſſos depaſcitur artus.
Aſpice quam denſa hic turba a te pendeat uno
Natorum, atque patrum, matrumque. Huc quiſque, levamen
Ut poſcat, ſævo, indomitoque ardore ſubactus
Effudit ſe ſe, tacituſque hinc læta referre
Quiſque domum ſperat mandata. Aut ergo reclude,
Quod ſperare nefas, clauſos tali objice fontes;
Quamque omnes trepidi, pueri, innuptæque puellæ,
Matres, atque nurus poſcunt, juveneſque, ſeneſque,
Suffice aquam, aut hoſti, cui non obſiſtere telis
Poſſe datur, preſſos tam duris rebus, & arctis
Nos trade, & veniam cuncti, pacemque precemur.
Præſtat enim victos hoſti ſervire, Deoque,
Quo nos cumque trahant, meritos perſolvere honores,
Quam magis atque magis hoſtilem acuiſſe furorem
Durando hic fruſtra, tum noſtro ſanguine tela
Imbuere Aſſyria, atque urbem concedere ſævis
Delendam flammis, armiſve a ſede ruendam.
Non etenim dubium, noſtrũm quin denique Patrum
Ille Deus, populo qui nos ſecrevit ab omni,
Quique jubet dubiis in rebus numine niti
Uſque ſuo, placido nos ſpectet denuo vultu,
Si precibus veniam aſſidui, votiſque rogemus;
Exiliumque ferum miſerans, & triſtia fata
Servitio exemtos in priſtina regna reducat.

Quare

Quare age, dumque licet rebus ſuccurrere lapſis
Feſtina, Ozia, & certæ nos eripe morti.
Nulla ſalus clauſis, nec ſpes defendere porro
Mœnia, nec circum patet ulla per horrida caſtra,
Perque acres bello peditumque, equitumque catervas
Jam via tam exiguis numero, feſſiſque laborum.
Quin igitur (miſeros!) tentamus dura precando
Flectere corda, ultro murorum ex aggere inermes
Tendentes dextras? Quin victam dedimus urbem,
Mollimuſque prius, ſi fas, & vincimus iras,
Sanguine quam noſtro, nullo diſcrimine, ſævas
Expoſcant pœnas, penituſque extinguere nomen
Judæum immites tendant victricibus armis.
Hæc tibi, ſiquis amor, perſtet ſententia menti:
Id propera, o Genitor; quod te juvenumque, ſenumque
Turba omnis, populuſque frequens, ſanctuſque Senatus
Unanimes poſcunt. At Tu, Pater optime, noſtra
In quo ſpes tota, & bellorum æterna poteſtas,
Parce tuo generi, quæſo, & miſerere precantum.
Haud equidem inſontes Te noſtra in vota vocamus;
Multorumque adeo ſcelerum nos conſcius æther
Arguit (heu quantum!) ingratos, ſimileſque parentum,
Quorum fœda tuas eſt auſa licentia leges
Frangere, ſed vincat pietas, clementia vincat
Illa eadem, miſeros mediis quæ ſæpe periclis,
Exitioque ipſos manifeſto numine tectos
Eripuit, tutamque viam per tela, per hoſtes
Supplicibus quondam patefecit,, & æquore vaſto,
Quod tibi ſi certum tamen eſt expoſcere pœnas,

Idque animo ſedet; hæc conſtat ſententia menti,
Ne patrium, quæſo, Pater, obliviſcere amorem;
Sitque tua (hoc ſaltem) quam nos accendimus, ira
Mitior, atque aliquam liceat ſpem ferre ſalutis.
Ne patere exſcindi protectam numine gentem
Uſque tuo, aut vinclis, palmaſque pedeſque gravatam
Raptari indigno ſcelerata in regna triumpho.
Sit ſatis Aſſyrio dictis impune protervis
Obtrectaſſe tuum noſtro cum nomine nomen
Jamdudum: diſcat tandem quod temnere te te
Flagitium fuerit; nec dicat victor ovanſque,
Atque tibi inſultans: *ubi nunc eſt Numen eorum?*

Oziæ ad eoſdem Bethulienſes

RESPONSIO

Cap. VII.

PArcite jam lacrymis, ſocii, juſtoque dolori
Sit modus; atque preces duplicantes, votaque mecum
Quinque dies tantum durate, & ab æthere ſummo
Optatam expectemus opem: nec vertere quiſquam
Cuncta paret ſecum, atque urgenti incumbere fato.
Forſan enim exiguo hoc ſpatio nos denique amore
Tactus & æterno, ſacra quod conditur Arca,
Fœdere bellipotens Genitor miſerabitur, ira
Depoſita, & dubio eripiet, trepidoque timore;
Disjicienſque hoſtes, luctumque in gaudia vertens

PROVINCIA DI TORINO

Quos vis nulla poteſt jam nunc, nulla arma tueri,
Defenſos dabit, & rebus feret ipſe ſalutem.
At ſi non pietas illum, non gratia tanget,
Non lacrymæ effuſæ, nec habet juſta ira regreſſum;
Si meritas ſtatuit, tenditque expoſcere pœnas;
Aſſyriiſque feris vinctos nos tradere, natis
Exemplum ut noſtris, & qui naſcentur ab illis
Utile mox ſimus ventura in ſecula cunctis:
Tunc agere, exactis, quos poſco, quinque diebus,
Fas verbis, precibuſque erit, ac nos dedere, & urbem.
Nec mora nectetur tunc ulla, aut cauſſa morandi.
Illum ipſum teſtor, cujus venerabile Numen
Propitium optamus, precibuſque in vota vocamus.

Judithæ ad Proceres Hebræos, poſt captum ab Ozia conſilium intra quinque dies deditionem urbis faciendi,

ORATIO

Cap. VIII.

UNde hæc, o Proceres, hodie dementia tanto
Conſilio inſtructis? Ergo nos dedere, & urbem
Intra quinque dies, præſens ni Numen adeſſe
Feſtinet, trepidoque metu nos ilicet ipſum
Eximat, Ozias promiſit? Nempe ſupremo
Cœlicolum Regi, rerumque, hominumque Satori
Præfinire modum noſtrum eſt, tempuſque, diemque,

Quo nos, quippe pios adeo, ac ſua juſſa verentes,
Protinus eripiat dura obſidione levatos
Ipſe ſua dextra ſummo, horrendoque periclo.
At qui vos tandem, æternum tentare Tonantem
Ut ſic, atque illum tacite facienda monere
Auſitis? Non hæc, Proceres, mihi credite, ſedant
Criminibus noſtris accenſam; valdius uſque
Inflammant iram, ac ſtimulant, acuuntque furorem.
At quoniam ad pœnas piger eſt, veniamque paratus
Uſque dare adflictis, duplicent ſi vota preceſque,
Eia agite, atque imo ſuſpiria corde trahentes,
Tendenteſque manus, mœſtis & fletibus ora
Perfuſi veniam cuncti, pacemque rogemus.
Forſan enim precibus victus, lacrymiſque remittet
Iram omnem ardentem, manſuetaque corda reſumet
Oblitus ſcelerum, mentemque, animumque benignum.
Non etenim æternum ſervat ſub pectore motus
Irarum, exercetque odia, ut mortalia ſueta
Corda, ſed & patitur ſe ſe exorari, & amore
Commutat facilis (loquor haud ignota) furorem.
Sit modo veſanus procul omnis faſtus, & illum
Demiſſis animis venerantes, tureque multo,
Talia dicamus, lacrymiſque uſque ora rigemus:
Adſis o tandem, & ſcelera obliviſcere noſtra,
Hoc primum, omnipotens Genitor, tum reſpice quales
Circumſtent acies ſacriſque, tuoque inimicæ
Nomini, & inſano faſtu fera corda tumentes.
In Te ſpes uno, non urbis in aggere, & armis
Eſt omnis noſtra: a Te uno in diſcrimine tanto
Imploramus opem, rerumque, urbiſque ſalutem.

Tu

Tu miſeros ſerva, magnis ſi caſibus uni
Fidimus uſque Tibi, nec fœda exempla ſecuti
Degenerum fuimus majorum, ſacraque nunquam
Tura tuis aris ſubtraximus ænea ſigna,
Aut lapides brutos culturi, aut ſculptile lignum.
Tu procul immanes hoſtes, qui nil tua curant
Juſſa, nihil Numen, ſimulacraque vana Deorum,
Poſthabito Te, ture colunt, hinc disjice victos:
Submiſſiſque favens animos infringe ſuperbos.
Talibus, o cives (trepidis ſi rebus, & arctis
Sit mihi fœmineæ, quæ ſtat ſententia menti
Fas verbis aperire) æquum eſt in vota vocare
Divûm, hominumque Patrem, dubiamque orare
ſalutem.
At vos interea, factis qui clari, & avito
Sanguine verſatis, lingua, eloquioque potentes
Flexanimis verbis populum, qui totus ab ore
Dependet veſtro, trepida formidine preſſum
Erigite, atque animum dictis illi addite amicis.
Bella illi, & caſus varios, & ſæva pericla
Cuncta Patrum, conſtans queis explorata vo-
luntas,
Relligioque fuit, memorate; ac pandite contra
Fata rependentes fatis, & præmia pœnis,
Horrendis quoties, converſo in gaudia luctu,
Auxilio fuerint Superumque, hominumque Parentis
Caſibus erepti, quoties in patria regna
Servitio ex diro, mediave ex cæde reducti;
Deletaſque acies, urbeſque, atque oppida ab illis
Capta recenſete, & belli decora inclyta parta,
Et ſolio exutos, actoſque in funera reges,
Dum meritos puro ſolvebant pectore honores
Cœli-

Cœlicolum Patri, duriſque in rebus ab ipſo
Sperabant uno ſolamen rite precantes.
Nec reticete Abræ exemplum, qui plurima paſſus
Eximium, tentante Deo, pietatis amorem,
Eximiamque fidem primus, firmuſque probavit:
Sicque Patres cunctos, quorum de nomine dicta
Gens omnis, multis tentatos caſibus eſſe:
Sic Iſac, Iſacque ſatum; ſic juſſa verenda
Qui tulit e ſacro delapſus monte, docete.
At parte ex alia clades ſit cura referre,
Ærumnaſque graves, & dira, horrendaque ſumta
Supplicia ex multis, quorum auſa licentia leges
Polluere, auctoremque ipſum contemnere amaris
Vocibus, atque iram fœdis incendere factis.
Ergo metum incutiant hæc nobis, illa ſalutis
Spem faciant, memorique animo repetenda putantes
Antiqua exempla, & cauſſas ſimul iræ, & amoris
Conſilia in melius referamus, noſtraque pœnis,
Quas Deus expoſcit (non quo ſimul obruat omnes
Ærumnis preſſos; at ne pereamus, & arma
Ipſe manu oratus ponat) graviora fatentes
Crimina, parcamus vanis, levibuſque querelis;
Demiſſiſque animis ne quæſo ullum excidat unquam
Ore nefas, motam quo vis accedat ad iram
Valdior, at veniam, pacemque uno ore precemur
Matres, atque nurus cunctæ, innuptæque puellæ,
Et teneri pueri, & patres, juveneſque, ſeneſque.
Hæc, Proceres, ſummi monitu, augurioque Parentis,
Quæ ſim cumque loquor. Sic quæ ſententia menti
Nunc ſurgit (Deus illam oranti nam addidit idem
Ipſe mihi) lætis animis, æquiſque probetur.

Hinc tacitam exire, intempeſta nocte, recluſis,
Si liceat portis, mens eſt, ſociamque pericli
Abram unam, comitemque viæ deducere mecum.
Quæ ſpes, quidve ſtruam ſit fas reticere, nec ulli
Pandere, conſilio donec perfecto, & amico
Numine tecta, redux, ut ſpes, cuncta ordine narrem.
At vos interea per vos, veſtramque ſalutem,
Per quidquid ſacri veneranda conditur Arca,
Vota, oro, atque preces iterate, ut rite ſecundet
Magna incœpta Deus, facilique ut numine firmet
Augurium ipſe ſuum, vel, ſi fas, quinque diebus
His ipſis, quando hac vos circumſcribere meta
Optatum auxilium (miſeros!) æquum eſſe putaſtis.

Ejuſdem Judithæ ad Deum Op. Max.
Cap. IX.

O Pater, o noſtræ columen, tutelaque gentis,
Summe Deus Simeon, genus unde ab origine longa
Eſt mihi, cuique animum Tu quondam, telaque in hoſtes,
Corrupta inviſos, raptaque ſorore dediſti,
Virgineum ut probrum, ſcelerato a ſanguine pœnas
Expoſcens meritas multorum cæde, & abacta
Vaſtatis ab agris opulenta præda, aboleret,
Utile venturo præbens ultricibus armis
Omni ævo exemplum: viduæ ne deſpice quæſo
Orantis lacrymas, & opem auxiliumque rogantis.
Illa prius, quo ſe tua rerum ſumma poteſtas
Proderet, ac ſontes ultrix quæ pœna flagello
Accin-

Accincta inſequitur nunc lento, nuncque citato,
Ut juſſa eſt, greſſu, feciſti: cætera deinceps
Ex aliis alia ab longo tibi tempore primum
Mente ſimul percepta, atque ordine deinde peracta.
Nec ſecus evenit quidquam uſquam, aut exſtitit
unquam,
Ac, cui nil obſtat, tua ferret ſumma voluntas.
Hæc certa ratione vias, legemque paravit,
Qua facili nutu nunc largus plurima fundis
Munera, nunc acres flagranti percitus ira
Expoſcis pœnas, malefactaque fœda coërces.
Tu generis noſtri ſortem miſeratus iniquam,
Servitiumque ferum, durum, immitemque tyrannum
Magna recuſantem tua juſſa faceſſere, & armis,
Divitiiſque ſuis fidentem, funere acerbo
Merſiſti, atque acies ſimul omnes, armaque, equoſque.
Namque, ubi ſtragem oculis, & triſtia funera ſpirans
Turbidus inſtabat monſtris cœleſtibus actos
Abramidas noſtros, peditumque, equitumque catervas
Ore truci horribiles ducens, rapidaſque quadrigas:
Jamque ad Erythræum trepidantibus enſe ferire
Terga videbatur, primos jam ſternere cæde;
Ecce ſtatim ante oculos nubes denſiſſima ſurgit
Imperio ſublata tuo, & caligine cœca
Una illum, atque acies involvit, & æquoris unda
Diviſa interea, ſuſpenſaque, ceu bifidus mons,
Tutum præbet iter noſtris, rurſuſque relabens,
Diſcuſſa nebula, inſtantes peditesque, equiteſque
Obruit una omnes, curruſque, Ducemque ſuperbum.
Ergo age, & Aſſyrios ſimili nunc obrue fato,
Alme Parens, quando inſano turgentia & ipſi
Corda gerunt faſtu, atque armis, numeroque ſuorum

Confidunt, luduntque Tibi, & tua Numina temnunt.
Nonne vides, cœlo ut tumidi capita ardua tollunt;
Quodque ſacris bellum, ventoſam in jurgia crebri
Solventes linguam intendunt, ariſque, Tibique?
Nam quid de nobis, queis funera ſæva minantur,
Excidiumque urbis, ac dira incendia dicam?
Nempe Deum ignorant Te noſtrum, & Numine bella
Cuncta tuo, atque hominum res omnes, quodque ſub axe eſt,
Quodque ſupra, tractuſque maris, cœlumque profundum
Omnia torqueri, & Domino Tibi nomen ineſſe.
Ergo illam o pariter terraque, marique potentem,
Ut tunc, nunc dextram ſtellanti ab vertice tolle;
Vimque tuam exertans, & non ſuperabile robur,
Frange reluctantes animos, ac vana tumentes;
Vique cadat vis victa tua, virtuteque faſtus.
Tot ſcelera expendant, & ſæva hic denique facta
Impia gens, ferro quæ ſternere mœnia, & igne
Hæc noſtra, & totam Judæam exſcindere gentem,
Sacraque polluere, & flammis abolere nefandis,
Et Templum heu! Solymis, araſque evertere tendit.
At ferus ante alios, ſcelerumque hortator, & auctor
Tantorum, Ductor proprio cadat enſe ſuperbam
Cervicem abſciſſus, fœdoque in ſanguine merſus.
Ipſe ſuis oculis capiatur, meque, videndo,
Ardeat eloquio incenſus, verbiſque pudicis.
Tuque, oro, interea magnam mihi mentem, animumque
Inſpira, alme Parens, firmo quo pectore poſſim
Illecebras omnes intacta eludere, & ipſum
Vincere, & everſum meditatæ ſternere cædi.

Quæ laus hinc etenim, & magnum, ac memorabile nomen
Cuncta tibi exſiſtet in ſecula, fœminea ictum
Si pereat dextra ſævum hoc, fataleque monſtrum?
Scilicet haud numero peditumque, equitumque, nec armis
Quæ tua ſit virtus Tu oſtendis, quove ſuperbas
Uſque odio mentes placari neſcius ultor
Urſeris, & quanta demiſſos cura, & amore
Rebus in adverſis, precibus ſi in vota voceris,
Auxilioque juves, properesque levare jacentes.
Ergo ſuam Aſſyrius tumiduſque, feruſque ſecundo
Marte quidem totam in telis, clypeiſque, & in haſtis,
Inque equitum numero, peditumque, citiſque quadrigis
Spem ponat, fidatque animo ac virtute ſuorum,
Inſultetque ferox miſeris, & jurgia jactet.
Nos nihil in nobis; in Te confidimus uno:
Auxilioque tuo ſpes omnis ſtatve, caditve.
Parce tuo generi, ſummi Moderator olympi,
Rexque hominum omnipotens, riguæque Creator aquäi;
Et ſcelerum oblitus, lacrymis inflectere noſtris.
Quod te per patres Abramque, Iſacque, & Iäcob,
Perque initum fœdus noſtra cum gente, per ipſum
Te quæſo: ſpes o jubeas, quas tute dediſti
Eſſe ratas, Pater, atque audacibus adnue cœptis.
Tu linguam ut moveat mihi dirige, verbaque digna
Suffice: Tu vires animo, dextræque miniſtra,
Conſiliumque tuum trepidanti in pectore firma.
Cunctæ hodie gentes manifeſto numine doctæ

Nullum alium diſcant, quam Te Superumque, hominumque
Eſſe Deum, ac Regem, cui rerum æterna poteſtas
Eſt uni, cœlumque uni, ac mare, cunctaque parent.

Judithæ Holophernem adeuntis, ut eum blanditiis captum interimat.

NARRATIO

Cap. X.

DEſierat lacrymis, precibuſque in vota vocare
Æternum Judith Superumque, hominumque Parentem;
Cum ſubito exurgens (nam pullam ſqualida veſtem
Proſtrata orabat, tecti in penetralibus altis)
Ingentique animum ſpe arrecta, & imagine facti
Corporis ad cultum, & mollem, inſuetumque paratum
Curam omnem ſtudioſa refert, famulaque miniſtra
Eximiam formam parat arte augere, decuſque.
Ergo prius cinerem capite excutit undique ſparſum,
Squalentemque humeris, ut juſſa eſt, ſedula amictum
Detrahit ore ſitum abſtergens, & corpore toto
Abraha (ſic famulam perhibent cognomine dictam):
Mox manibus crines componit, &, arte magiſtra,
Nunc calido ferro criſpat, myrrhaque madentes
Colligit in nexum, nunc oſtro innodat & auro:
Tum nitidam mitram, gentis crinale decorum,

Impo-

Imponit capiti, quam ſerica tænia, & auro
Intexta, inque modum ſpiræ ſubnexa coërcet:
Deſuetiſque diu, rubroque ex æquore miſſis
Illi aures gemmis onerat rutilantibus aptans,
Longaque ſuccingit baccata monilia collo.
Tum lateri decus, auroque, argentoque rigentem
Induitur pallam, qua vulgi ſæpe ſolebat
Nupta nova incedens oculos inflectere, & ora.
Singula quid referam? Digitos jam gemmeus ornat
Annulus inductus: jam brachia ductilis auri
Lamina, jamque pedes virgata, ac murice tincta
Tegmina circumdant, læti ornamenta, decuſque
Temporis, & ductæ dulci cum conjuge vitæ:
Egregiuſque oculis nitor, & toto eminet ore.
Jamque viæ accingi tales induta paratus
Adgreditur, comitemque Abram ſibi deligit unam,
Quippe fide notam, tanto in diſcrimine habendam.
Ergo laboratam cererem, mora nulla, oleumque
Dat comiti ferre, & pultem, vinoque tumentem
Non multo utriculum: queis caſeus additur, alta
Haud valde urbe procul preſſus, paſſæque in apricis
Collibus, inque orbem concretæ, caricæ Idumes.
Tempus erat, furvis cum nox invecta quadrigis
Jam medium curſum ſtellato exceſſit in axe;
Alituumque genus terris pecudeſque, feraſque,
Defeſſoſque homines paſſim ſopor altus habebat:
Cum tecto Judith manifeſto numine ducta
Egreditur, portamque petit, qua valdius urgent
Propoſitum Aſſyrii, & muris trepidantibus inſtant,
Primoreſque illic tacitos, ipſamque manentes
Jamdudum reperit, populique Patremque, Ducemque
Oziam, qui luce nova, vultuſque decore

Perculſi inſolito (Deus illi namque juventæ
Purpureum lumen, ſpeciemque, & frontis honorem
Inſuetum adflarat) cuncti ſtupuere, nec auſus
Quid ſtrueret quiſquam, vel quæ ſententia menti
Conſtaret, verbis ſcitari, ac quærere cauſſas.
Tantum illam Ozias, patefactis illico portis,
Sic voce adgreditur, lacrymiſque adfatur obortis:
I quo te ducit tua virtus, i pede fauſto,
O decus Abramidum, Judith, & maxima noſtræ
Spes urbis, regnique labantis: teque per omnes
Defenſam caſus Superum det Rexque, Paterque,
Auguriumque ſuum firmans tua cœpta ſecundet
Auxilio ipſe ſuo, præclaræ ut præmia laudis
Inde feras, vigeatque tuum per ſecula nomen.
Queis Proceres omnes adſenſi quiſque abeuntem
Proſequitur votis, oculiſque, atque objice portam
Rurſus, ubi illa abiit, firmant fletu ora rigantes.
Interea Judith, fida comitante miniſtra,
Aggere vallorum ſuperato, & vertice lapſa
In vigiles hoſtes prima ad tentamina lectos,
Præmiſſoſque, oculis qui luſtrent omnia circum,
Incidit, ut pulſis tenebris jam clara rubere
Cœperat aurora, & victæ evaneſcere ſtellæ.
Ilicet ergo illam veniæ, vultuque, oculiſque
Spem magnam, ac pacis ſimulantem, & caſtra petentem
Circumdant, farique jubent quo tendat & unde?
Quidve petens veniat? vel qua ſpe freta tot inter
Audeat hoſtiles acies procedere, & arma?
Illa animi fidens obſeſſa, dixit, ab urbe
Huc veni aufugiens hebræo ſanguine creta
Fœmina; meque fero excidio, cladique futuræ

Eripere

Eripere eſt animus: vobis namque omnia novi
Tradenda in prædam, civeſque, urbemque, nec igni
Parcendum, ac ferro, veſtros quod temnere juſſus
Non veriti, captiſque armis obſiſtere contra
Iram accenderunt, dextras cum tendere inermes
Præſtabat, veniamque ultro, pacemque precari.
Quare agite, ad veſtrum, quo non præſtantior alter
Eſt armis, me quæſo Ducem deducite, ut illi
Quæ novi (fas namque mihi nunc ferre ſub auras)
Omnia committam, tum qua ratione, adituque
Urbs obſeſſa capi ſine cæde, ac ſanguine poſſit
Edoceam, pretiumque feram, quam ſpero, ſalutem.
Sic ait; atque oculos paſcebat quiſque, decoram
Interea faciem contemplans, fixus in illa,
Et tacito obtutu ſic hærens, vulgus ut hæret,
Defixuſque ſtupet, ſi quando lumine cœlum
Inſolito rutilat, crinitave ſtella coruſcat.
Tum facilem ſibi Ductorem ſperare, bonoque
Eſſe jubent animo, & dictis ſolantur amicis;
Ingreſſique viam Ducis ad tentoria ducunt.
Jamque introgreſſa, ut coram data copia fandi;
Utque oculos tollens, claraque in luce refulgens
Aſſyrii ante pedes ſe abjecit, &, ore, comiſque
Compoſitis, adflante Deo, cui nota voluntas,
Menſque erat, ambroſiæ liquidum diffudit odorem,
Protinus exarſit, forma calefactus, amore
Ductor, & inſinuans ſe mollis flamma medullas
Non ſecus urebat, quam gramina ſicca, & ariſtas,
Cum forte implicitus bacchatur, & æſtuat ignis.
Quare ab humo adtolli, poſito jam corde feroci,
Jamque animo melior venerantem, ac multa parantem

Dicere,

Dicere eam jubet, ac gemmis, auroque decoro
Ab ſolio placidus, verbiſque ita fatur amicis:

Cap. XI.

Parce metu, o quamvis inimico ſanguine creta,
Digna tamen cultu celebrari, & laudis honore:
Non etenim quemquam terraque, marique potentis
Qui velit imperio Regis parere Nabucchi,
Dirus ego inſector, belloque, armiſque laceſſo:
Nec tuus hic populus, quem nunc circumſonat altus
Armorum ſtrepitus, nec jam vel mœnia clauſum,
Vel valli, foſſæque tegent, hic tendere contra
Aſſyrias acies vidiſſet, & aëra telis
Umbratum noſtris, niſi me, & mea temnere juſſa
Auderet, nimiumque ſuis confidere rebus.
At tu, cur patriam, civeſque relinquis, & hoſtes
Sola petis? Quæ cauſſa fugæ? Vel quis Deus iſtam
Objecit mentem, quo te diſcrimine tanto
Eripias fugiens, nec ſpe tenearis inani?
Fare, age, depoſita formidine, & omnia pande.
Sic ille: & proceres circum, famulique fremebant
Interea cuncti vultuſque, oriſque decorem
Laudantes Judith, animiſque lubentibus arma
Dicentes merito hebræa cum gente ferenda,
Unde queat victor virtutis præmia tali
Præſtantes forma vultus, atque ora referre.
At Judith oculos paullum demiſſa nitentes
Sic deinde orſa loqui: famulæ ne deſpice, quæſo,
Verba tuæ; aſt æqua, Dux ſumme, illa accipe mente.
Hinc etenim diſces, quæ ſors manet ultima noſtros;
Quoque modo poſſis cum civibus urbe potiri

Cæde ſine, ac telis, & hebræa capeſſere Regna.
Nec tibi vana feram, per te, & tua fortia facta,
Perque caput teſtor, majeſtatemque Nabucchi,
Per quæ in te reſidet rara ipſius, almaque virtus,
Qua domitos armis populos, genteſque feroces,
Qua pecudes ipſas victas parere fateri
Cogis, & exerces ſcelerato a ſanguine ſumtas
Hac illac pœnas; qua denique didita late
Fama tui, ac nomen cunctis increbuit oris.
Te populi, ac gentes nulli virtute ſecundum,
Conſilioque unum, & ſollerti mente potentem
Aſſyrios inter dicunt, præclaraque paſſim
Facta admirati, laudeſque ad ſidera tollunt.
At populus noſter, cui nunc & conſcius error
(Heu ſero, & fruſtra !) cœptique audacia tangit
Inconſultum animum, trepida formidine pectus
Concutitur, propiuſque ingens, tetrumque periclum
Jam ſpectans, ſe ipſum, quod non te acceperit ultro
Mœnibus, incuſat bellum execratus, & arma.
Nempe ſedent animo quæ tu reſponſa dediſti
Achioris ad dicta, & ſummi queis Numinis iram
Ipſe ſui accendit ſcelerata ac turpia facta:
Scitque ab iis monitus, queis dat Deus ipſe futura
Noſſe, diem ſummam, qua fœda piacula pendat
Inſtare; urgeturque adeo jam vindice pœna,
Limina quæ paſſim per cuncta accincta flagello,
Perque vias omnes excurrit verbere quemque
Inſectans torto, & fruſtra fugientibus inſtans.
Namque ſiti heu! dira, undis deficientibus, ardet
Jamdudum, rabieque ſimul torquetur edendi
Mœnibus incluſus; nec ſpes evadere ſepto
Tot circum turmis, & tot victricibus armis

Eſt reliqua, aut veniam fas jam, pacemque rogare.
Hinc ſibi quo pallent, tam magni cauſſa pavoris:
Hinc qui cuncta tremor quatit oſſa, atque occupat artus.
Nec ſuperare parant contemti Numinis iram,
Supplicibus votis addentes vota, preceſque,
Et lacrymas lacrymis: aſt ultro accendere pergunt
Jam magis atque magis, ſpeque exturbantur ab omni.
Jamque, ſitim ut pellant, pecora omnia cædere, oveſque
Conſtituere ſuas, & fuſo ſanguine ſicca
Guttura polluere, & quæ nec contingere dextra
Fas eſt, quippe Deo ſolemni ex more ſacrata
Relligione Patrum, vetito convellere dente,
Ut ventrem placent, penituſque abſumere tendunt.
Hæc ſibi ſumma mali labes; hæc ſumma ruinæ
Cauſſa erit extremæ Regnique, urbiſque: fugamque
Hinc adeo, mandante Deo, a quo nuncia mittor,
Arripui, patriamque domum, civeſque reliqui.
At liceat famulæ (quando illam, maxime Ductor,
Tam placidis verbis profugam, & læto excipis ore)
Quæſo tuæ patrios inter victricia tela
Hic ritus colere, & meritos perſolvere honores
Cœlicolum Patri, & tuto loca ſola ſubire.
Namque preces illic noctes iterare dieſque
Mens eſt, dum mi denique ineluctabile tempus,
Quo velit ingrata pœnas expoſcere ab urbe,
Ipſe ferat verbis iterumque iterumque rogatus.
Tum tibi quæ audiero (nec erit mora) pandam, & in urbem
Ipſa ego te ducam, & victrici tempora lauro
Præ-

Præcingam ingreſſo: nec ſit qui obſiſtere contra
Adparet, aut frænum accipere, aut parere recuſet.
Immo metu ſtupidus nec vocem tollere quiſquam
Audebit, tacituſque oculos te figet in uno
Adtonitis inhians animis, tua factaque mirans.
Conſcia ſic illos, quæ nunc improvida turbat
Pectora, mens ſcelerum: ſic læſi Numinis ira
Defiget terrore novo, vimque auferet omnem.
Hæc Pater omnipotens mihi cuncta, tibique ego juſſu,
Auſpicioque ſuo veniens nunc ordine pando.
Sic ait, & blando proceres narrantis ab ore
Pendebant circum; eloquiumque, oriſque decorem
Laudantes ſecum nil ortum tale ferebant,
Nil oriturum alias. At Dux cæco arſit amore
Valdius his dictis, fuditque has pectore voces:
Haud equidem omnino, quicunque ſit ille parentum
Veſtrorum Deus, & vindex, ut fama, ſuorum,
Bethuliam oblitus, populumque, genuſque videtur,
Qui te Judææ decus ingens, gentis, & ævi
Miſerit urbem ultro, civeſque, atque arma, priuſquam
Ferro aditum, ac flammis, ut ſtat ſententia, ſternam,
Dedere ſupplicibus verbis, vitamque rogare.
Perge igitur: precibuſque illum, votiſque fatiga,
Ut cito, quæ ſpondes, haud vano numine firmet.
Immo age: ſi tantam (ſolque eſto, ac ſidera teſtes)
Spem mihi præſtiterit, ſacro quoque turis honore
Illum ego dignabor, precibuſque in vota vocabo.
At tu primores inter ſpectanda Nabucchi
In Regno incedes, & honos, laudeſque manebunt
Uſque tuæ, ac nomen, claris dum gloria rebus

Acce-

Accedet, trepiduſque pavor fera bella ſequetur:
Nec meriti unquam animis aboleſcet gratia tanti.

Cap. XII.

Dixerat; atque ingens argenti ubi pondus, & auri,
Auxilio belli, facti infectique repoſtum
Acri adſervabat ſtudio, ſecedere juſſit,
Securoſque dies illic agitare, ſimulque
Quas velit ipſi epulas, & qua ratione paratas,
Præcerptaſque ſua de menſa lancibus aureis
Apponi adcitos famulos, ipſamque viciſſim
Præmonet. Illa autem: nec me lex patria, dixit,
His patitur veſci; nec mos, venerandaque Patrum
Relligio; allatamque domo mihi fida miniſtra
Porro eſcam ſervat fortunæ, ac legibus aptam.
Hac ego, pace tua, hic veſcar, ſuſpenſaque tempus
Promiſſum exſpectans pia vota iterabo, preceſque.
Talibus adſenſus ſic læto deinde & amico
Dux vultu pergit: quid, ſi defecerit iſta
Eſca prius, quam, quæ ſpondes, Deus ille tuorum
Numine confirmet, teque ad tua tecta reducat?
At Judith non ſane, inquit, (ſic gloria cœlo
Se magis atque magis tua tollat, & inclyta fama)
Non prius abſumam, quæ fida ancillula ſervat,
Quam res ipſa fidem mihi præſtet, teque per alta
Mœnia victorem, perque ardua compita ducam:
Nec promiſſa mei me Numinis optima fallent.
Hæc effata ſubit, magna comitante caterva,
Quam juſſa eſt ſedem; modicum dein Abraha victum,
Quo revocet vires paullum cunctata miniſtrat.
At clari interea tota eſt in imagine facti
Hic Judith, magnumque animum per ſingula verſat.

Jamque videbatur ſomno, vinoque videre
Immanem Aſſyrium ſola ſub pelle ſepultum,
Pendentemque enſem, gemmiſque, auroque coruſcum
Corripere, &, magna ſibi protinus æthere ab alto
Vi dextræ immiſſa, meditatum aſſurgere in ictum;
Inſolitoque oculos, vultumque ardore micabat:
Jamque ſui compos, memoranda cæde peracta,
Magnanimi voti patriis ſuccedere muris;
Speque animos paſſim, converſo in gaudia luctu,
Erigere ingenti, & lapſam revocare ſalutem,
Ultorique Deo meritas perſolvere grates.
Talia dum verſat ſecum; dum vota, preceſque
Duplicat, heſperiis jam ſol ſe tinxerat undis;
Armorumque omnis ſtrepitus, clangorque tubarum
Aſſyriis caſtris, voceſque minæque quierant.
Ergo Dei auſpicio egreditur (data namque petenti
Copia erat) medioſque, Abra comitante, per hoſtes
Incedens ſecura, & per divortia nota,
Vicinam in vallem ſola ſub rupe reductam,
Haud procul a celſis obſeſſæ mœnibus urbis,
Se ſe infert tacitæ per amica ſilentia lunæ;
Itque reditque viam tres noctes ordine eandem.
Fons ibi ſub dorſo pendentis rupis, & imam
Lene fluens vallem circumque, infraque rigabat:
Terque quaterque manu his primum ſe ſe abluit undis,
Ut patrius mos eſt, riguoque e margine merſit;
Tum duplices tendens cum voce ad ſidera palmas,
En quo me, dixit, duce Te, per tela, per hoſtes
Tranſiliens, ſpes o noſtræ fidiſſima gentis,
Judææque graves ſemper miſerate labores,
Summe Parens, ſecura tuli; cœpta ergo ſecunda

Nunc

Nunc magis atque magis, rerumque, urbiſque saluti
Pande viam tandem, lacrymiſque inflectere noſtris:
Hac bacchata tenus fuerit veſana ſuperbi
Aſſyrii ambitio, ac diri vis effera belli
Bethuliam circum, fundataque mœnia genti
Rite tuo auſpicio, & manifeſto numine tecta:
Hic requies, finiſque malis ſit denique noſtris;
Nec patere ultra odia in nos exercere, Tibique
Inſultare hoſtes, numeroque, animoque feroces,
Fidenteſque ſibi, ſimulacraque vana colentes.
Talibus, ad patriam vultum converſa decorum,
Orabat dictis, lacrymæque per ora, ſinumque
Ibant interea effuſæ, & ſuſpiria corde.
At memori antiquæ pietatis pignora mente
Percurrens tacita, & res, & miracula rerum,
Queis ſubito adjutos ſummis, trepidiſque periclis
Auxilio Patres terraque, marique potenti
Eripuit dextra, & magna inter præmia duxit,
Tergebatque oculos, & ſpe exultabat oborta
Corde metum pellens, & protinus ora ſerenans.
Namque modo exemtos duri, immitiſque Tyranni
Servitio admirans ſimul ordine cuncta videbat,
Tranſmittique ſuos patefacta per æquora Erythræi,
Hinc inde in montis faciem pendentis, & omnes
Una hoſtes pharios pediteſque, equiteſque prementes,
Crudelemque Ducem, curruſque repente relapſis
Obrui aquis, galeaſque virum, fractaſque quadrigas
Mox volvi ad ripas, confuſæ & ſtragis acervos:
Nunc ſterilem in ſilvam cælo demittier alto
Miram eſcam genti, ſaxoque repente fluentem
Ad Ducis imperium fontem: nunc ſiſtere juſſos
Solis equos curſum, & parto indulgere triumpho;
In-

Ingentiſque urbis quaſſos nullo ariete muros
Corruere emotos (mirum!) clangore tubarum.
At rapit ad ſe ſe ſuper iſta, oculoſque moratur
Valdius ingenti transfixus tempora clavo
Fœminea dextra Siſaras, Chanaanque fugatus
Miram poſt cædem, domituſque exercitus omnis:
Spemque datam hæc ſpecies, animumque augetque
fovetque:
Aſſyriumque Ducem Siſaræ componit, & ipſa
Tempora temporibus; lætaque in imagine inhærens
Hinc remeat tacito nota ad tentoria greſſu.
Jamque aderat memoranda dies, qua frangere ſœvi
Audaces animos Syrii, & fera corda domare
Tendebat, populique ſuo de nomine dicti
Omnipotens Genitor rebus ſuccurrere lapſis.
Jamque parabatur celſis ſub pellibus auro,
Aſſyrioque oſtro circumque, infraque decoris
Triginta a famulis fatalis cœna, futura
Ductori immani exitium; proceresque vocati
Jam cuncti ad cœtum, & multo convivia luxu
Splendida; cum Ductor, pulcram qui invitet He-
bræam,
Semivirum Vagao mittit, ſenſuſque latentes
Detegit illi una, & cæcum, quo carpitur, ignem;
Primaque inire jubet blandis tentamina verbis,
Quo facile illecebris queat ipſe deinde labantem
Delenire animum, & reſidem ſuperare pudorem.
Nec mora juſſa facit Vagao, Judithque parato
Suadet adeſſe epulo, & cœtu indulgere faventem.
Illa autem facilis ſic fatur, & ore ſereno:
Numquid ego ſummi contemnam ſplendida juſſa
Aſſyriūm Ducis, aut genio indulgere recuſem?

Non ea mens famulæ; nec tanta ſuperbia victis:
Immò lubens adero, & meritas perſolvere grates
Contendam, tali quod me dignetur honore.
Vade age tu interea, meaque hæc reſponſa reporta
Magnanimo Aſſyrio, mihi juſſa capeſſere tantum
Fas eſſe, aſt olli curam explorare quid optet.
Nec quod Holopherni placeat, dum vita manebit,
Me feciſſe unquam minimum decus eſſe putabo.
Sic effata ſuos, Abra famulante, paratus
Induitur; comtiſque comis, mitraque decora
Implicita incedit ſerò ſub veſpere, & Abram
Deducens comitem, Aſſyrii ad penetralia læta.
Ac veluti flavens paullatim cera liqueſcit,
Igne prope admoto; ſic Dux ſplendore nitentis
Perculſus frontis, aurique, oſtrique decore
Valdius occultum ſenſit præcordia circum
Debacchari æſtum, mentemque explere tuendo
Haud poterat, nuſquamque oculos detorſit ab illa.
Mox ſic, dum proceres per limina læta frequentes
Conveniunt, mediamque manu locat ipſe nitenti
Pelle (*a*) ſuper; dum menſa epulas properantque, ſtruuntque
Solliciti famuli, & lucent longo ordine lances,
Sic illam adloquitur, verbiſque invitat amicis:
Nunc jam læta ſede, procerumque adſueſcere menſis
Incipe, digna meo felix quæ habearis amore:
Nunc bibe, ſollicitiſque animis onus ejice curas.
Cui Judith: quis, o Aſſyriæ fortiſſime gentis
Dux, inquit, tantum, quo me dignaris, honorem,
Laudi-

(a) *Conſtat ex textu græco villoſas ei pelles inſtratas fuiſſe, ut ipſis accumbens comederet.* Ἔστρωσε χαμαι τὰ κωδία.... εἰς τὸ ἐσθίειν κατακλινομένην ἐπ᾽ αὐτῶν. κεφ. ιβ

Laudibus exæquet? Cyathis ergo lætiſſima tecum
Indulgebo hodie, quando nec clarior unquam
Ulla dies mihi, nec luxit felicior ulla.
Tantum effata epulis, quas ſedula Hebræa miniſtrat,
Veſcitur, ac lectum prope Dothan vertice amœno
Sæpe, ſed exiguis vinum bibit hauſtibus ultro.
At Dux Aſſyrio ſpumantes nectare multos
Crateras, Cyprio multos perſtrenuus haurit
Increpitans ſocios, mentemque in pocula mergit.
Nec modus eſt ullus; nec ſe ferventius unquam
Proluit ante alias; & jam ſibi fervere pectus
Senſerat inſolito ſtimulatum ardore, caputque,
Luminaque augeri, & rapida vertigine ferri
Aureos in gyrum lychnos, abacoſque videbat.

Cap. XIII.

Quare, ubi facta quies epulis, menſæque remotæ,
Abſcedunt proceres (jam namque cadentia ſomnos
Sidera ſuadebant) Judithque, & Dux ſub eamdem
Concedunt pellem; tum ſemivir oſtia juſſus
Occludit Vagao, & penitus domus alta ſileſcit.
Nunc o pennigerum tot fratrum e millibus unus
Lecte polo, quo tanta inter diſcrimina Cuſtos,
Illæſam ſervans Judith, enſemque, manumque
Dirigeres, ſævum ut monſtrum demitteret orco,
Tu nunc, fide Comes, memorandam ut carmine digno
Perſequar hinc cædem, magnis, precor, adnue cœptis.
Ebrius in ſtrato, victuſque ſopore jacebat
Dux ferus, & vaſto proflabat pectore ſomnum,
Immanes rhoncos male apertis naribus edens:
Fulmi-

Fulmineuſque enſis, gemmiſque, auroque coruſcans
Pendebat juxta, cuncta in diſcrimina belli
Longo ipſi ex more, & vim omnem, inſidiaſque paratus;
Cum Judith, Abra accita, jubet oſtia propter
Excubet, ac moneat ſi quis forte obvius adſtet.
Tum tacita accedens, digitiſque innixa, animamque
Ore tenens, enſem dextra arripit illico nudans;
Adtollenſque oculos, ſubmiſſa ita voce precatur:
Nunc mihi, nunc animis opus eſt, & robore firmo,
Auxilioque tuo, Pater optime; perfice magnum
Tandem, oro, votum, cunctaſque extende per oras
Nominis ipſe tui hoc facto famamque, decuſque.
Sic ait; aſſurgitque ſuper ſe ſe ipſa, oculoſque
Ardet, & ore minax, vultuque interrita ferrum
Adtollit dextra: tum crinibus implicat hirtis
Sollicitam lævam, &, collectis viribus, acrem
Torquet agens ictum, penituſque immane recidit,
Adnitens acie, caput, & cervice revellit.
Tum ſuper incumbens manantem ſanguine truncum,
Vinaque miſta ſimul referentem ſtragulo opertum
Purpureo involvit, ſparſumque cruore mucronem
Juxta obdit, fulcroque tegens demittit ab alto
Picta tori aulæa, & collectas explicat oras.
At caput horrendum, calido dum ſanguine totum
Stillat adhuc, cædeſque minax ſpirare videtur;
Lumina dum nondum ſat clauſa horrentque, natantque
Arripit, atque Abræ tradit, peraque reponit
Ipſa manu includens, paribuſque hinc greſſibus ambæ
Diffugiunt tacitæ, vallis ſecreta petentes,
Ut mos, hoſtileſque acies, & caſtra peragrant.

Jamque

Jamque, pererrata ſola ſub nocte ſilenti
Valle, propinquabant, qua ſe fauſto omine pridem
Extulerant, portæ; &, ſuperato vertice montis,
Plurimus Aſſyrios inter qui exſtabat, & urbem,
Jam poterant notas audire, & reddere voces;
Cum Judith: læti o portam mihi pandite, cives,
Pandite, ait, nam parta ſalus, ſeque inclyta bello
Summa Dei oſtendit memoranda potentia noſtri.
Nec plura: at vigiles, mora nulla, in limine primo
Solliciti accipiunt venientem, & diditur urbe
Confeſtim tota volitans per compita rumor;
Implenturque omnes trepidis in ſedibus aures.
Undique viſendi ſtudio juveneſque, ſeneſque
Ilicet adcurrunt, propiuſque accedere certant;
Et reducem adfari, & quæ ſit fortuna rogare,
Quidve ferat cupiunt, quæ ſpes, quæ fata ſuperſint?
Præcipue proceres, & qui regit unus habenas
Labentum rerum. At tumulo ſic denique ab alto
Adgreditur Judith; intentique ora tenentes
Suſpenſis juſſi circum omnes auribus adſtant:
Ferte Dei meritis ad ſidera laudibus omnes,
Et celebrate pii ſanctum ac venerabile nomen:
Ipſe ratas etenim cœlo miſeratus ab alto
Spes noſtras tandem, mihi vim ad memorabile factum
Sufficiens, fecit, rexitque enſemque, manumque
Ipſe mihi, ut læto crudelem ſterneret hoſtem.
Talibus effata horrendum caput extulit hirtis
Crinibus apprenſum, &, telæ velamine tracto,
En Ducis Aſſyrii, dixit, pallentia tabo
Ora modo hac dextra ſæva e cervice revulſa.
Tum breviter memorat qua cædes arte peracta;
Auctoremque Deum teſtatur, conſciaque aſtra,
Alige-

Aligerumque ſuum Comitem, ſe crimine nullo
Pollutam, quo læta minus victoria haberi
Poſſit; at intactam remeare ad patria tecta.
Nec non indici victori Numini honores
Hortatur meritos, & pleno dicier ore
Illius in populum benefacta, animumque benignum,
Adflictiſque omnes melius confidere rebus.
Ac veluti horrificum ſi quis prope patria luſtra
Stravit aprum cædi trepida formidine ſilvas
Implentem circum, atque omnes cultoribus agros
Vaſtantem ex longo jam tempore, gaudia certant
Teſtari hinc ſocii vultu, hinc clamore ſecundo;
Nuncque ferum immanem, quem vix contingere
ſtratum
Eſſe putant tutum, ſpectant, & corda tuendo
Expleri nequeunt; nunc fortem lumina ad ipſum
Victorem referunt, aut oſcula dulcia jungunt
Gratantes læti, roburque, animumque canentes:
Haud ſecus effuſi ſtudio circum undique cives,
Atque animo Judith, & rei novitate ſtupendæ
Perculſi abſciſſum modo vultum, haud abſque timore,
Terribileſque oculos luſtrant, & valdius uſque
Fœminea adtoniti mirantur mente agitari
Rem tantam potuiſſe, manuque ita fortiter auſam;
Nunc reduci plaudunt, nomenque ad ſidera tollunt,
Victricemque hilares cupiunt contingere dextram.
At pius Ozias veneranda Viraginis ora
Obtutu primum, atque animo haud imitabile factum
Perluſtrans tacitus, ſic deinde applaudente corona
Spectantum tota fremituque, oculiſque profatur:
Quis tibi, Judææ decus ingens gentis, & omnis
Fœminei generis, Judith, pro talibus auſis
Præmia

Præmia digna ferat? Quis tantum laudibus æquet
In patriam meritum? Longos miſerata labores
Communes ſola (haud equidem ſine Numine ſummo)
Objectas certo caput, horrendoque periclo,
Immanem Aſſyrium haud metuens tela inter adire
Innumera, & lapſas ſpes erigis una, ſaluti,
Subſidioque viam recludens, teque ſupremo
A Patre delectam præclara ad facta, ſuique
Tutamen populi oſtendis, dignamque perenni
Carmine cuncta virum celebrem volitare per ora.
At tibi pro meritis, quas nunc non reddimus ipſi,
Perſolvent memores ventura in ſecula cuncti
Abramidæ grates, nec laudes ulla tacebit
Ætas ſera tuas: nunc vota iterare, preceſque
Tendamus potius, quo tanta exordia rerum
Perficiat Deus, & ſævo nos denique ab hoſte
Eripiat miſeros, ſi fas, tetrumque periclum,
Et quam marte ferox ſtragem, exitiumque minatur,
In caput ipſius, fera pellens agmina, vertat.
Tuque adeo illius quæ ſit nunc ſumma voluntas
Explora, aut, ſi nota, mone, doceaſque viciſſim
Qui tibi ſit ſenſus menti: tum conſule porro
In medium ut facis. Hæc ille, aſſenſuque fremebant
Communi proceres, ſtupefactaque concio circum.

Cap. XIV.

Tum Judith, capere arma, inquit, cum proxima lucem
Aurora adtulerit, præfixaque mœnibus ora
Occiſi Aſſyrii arrecta protendere in haſta
Suadeo, & e muris ſubito agmine, & impetu in hoſtes
Irruere, ac magnos clamores tollere ad aſtra.

Namque ubi ſigna cani, ſeque ad certamina belli
Cuſtodes videant prima ex ſtatione vocari,
Protinus ad ſummi tentoria Principis omnes
Excurrent, monitumque volent arma, arma ite-
rantes,
Adtonitique fugam improviſa cæde capeſſent:
Voſque adeo urgentes ferietis terga, pavorque
Saxa per, & ſalebras paſſim, perque invia quæque
Præcipites aget, ac veſtros ferus imbuet enſes
Hac illac cruor, & ſpargentur funera campis.
Talia dum memorat, ſimul Achior ecce repente
(Achior ille trucis juſſu Ductoris ad urbem
Adductus pridem, manibus poſt terga revinctis)
Adſtitit accitu Oziæ, vultumque ferocem
Inviſi Aſſyrii cernens, & lumina nota,
Morte licet clauſa, antiqua formidine preſſus
Palluit, obſtupuitque animo (ſic perculit una
Abdita vis mentem, & ſenſus) ſubitoque tremore
Procubuit gelido pectus quaſſatus, & artus:
Ceu quondam ſi forte coit, nimiuſve meatu
Erupit ſanguis; vel cum caput impetit ater
Halitus effuſus, mediuſve, undante theatro,
Turbam inter calidum, impurumque quis aëra ducit,
Concidit, ac miſero color omnis diffugit ore.
Aſt ubi collegit ſe ſe, vireſque recepit,
Protinus exurgens, remque ordine lætus ab ipſa
Accipiens Judith totam, plena, inquit, acerra
Tura Deo veſtro date cuncti, cunctaque paſſim
Ora ſonent laudes terraque marique potentis
Numinis, & veſtro (nunc novi) & gentis honore
Late omnis digni, ætherea quæ veſcitur aura,
Qua ſit cumque ora, queiſcumque auctoribus orta

Mox

Mox ultro, his dictis, uno omnia condita ab illo,
Reſque geri cunctas Superumque, hominumque fatetur;
Pertæſuſque animi damnat, quos indidit, omnes
Cæca ſuperſtitio errores, precibuſque doceri
Judæos poſcit mores, legeſque ſacrorum;
Conſiliumque ſuum, & pacis venerabile pignus
Sollemni ex ritu luſtrali ſanguine ſancit.
Interea Oceano, ſtellis aurora fugatis,
Extulit alma caput, valloſque, & caſtra retexit
Aſſyriūm; jamque arma Pater, pugnamque parari
Juſſerat Ozias; jam ſignum fervida pubes
Ferro accincta fremens, vi magna animoque ſuperne
Protinus immiſſo, acres aſſurgebat in iras:
Ceu leo, venantum magna qui forte corona
Cinctus, & impatiens, ſeptoque, armiſque teneri
Infremit horrendum, & pugnæ ſe ſuſcitat acer
Immanem meditans ſtragem, rabieque remugit.
Tandem igitur portæ panduntur: & ilicet omnis
Adglomerata cohors ruit alto e vertice, & enſe
Quiſque ferox nudo, & ſpirans vultuque, oculiſque
Terrificum ardorem, torrentis fluminis inſtar,
Culmine qui ſummo præceps, tumiduſque feratur,
Ingruit, atque hoſtes ſubito impete terret, & arma
Vix ſinit, atque animos ad prælia ſæva parari.
Ergo ſtatim vigiles procul arma, arma: imminet hoſtis,
Exclamant, rapidoque gradu ad tentoria currunt
Occiſi Aſſyrii, ſtrepitumque ad limina (ſomno
Namque putant arcto implicitum recubare) ciebant.
Jamque aderat Procerum pars magna, jubentque, Bagoas

Ilicet excutiat ſomno, moneatque protervos
Adventare hoſtes, extrema ut prælia tentent.
Nec mora fidus adit Vagao, manibuſque repente
Complodit primum; patulis mox auribus adſtat
Accedens ſtrato, & velamina denique tollit,
Fœdatumque ſuo (viſu miſerabile!) cernit
Sanguine ibi truncum, pictoque informe cadaver
Obtectum aulæo, & juxta exitiabile ferrum.
Ergo manu crines, & amictus ſciſſus, & ora
Unguibus egreditur mœſto late omnia complens
Plangore, atque trahens imo ſuſpiria corde;
Immanemque necem memorans, heu! fœmina, dixit,
Una tot Aſſyriæ fœdat decora inclyta gentis
Perfida, herumque mihi crudeli cæde, Ducemque
Abſtulit invictum vobis, magnoque Nabuccho.

Cap. XV.

Continuoque ruit campum vulgata per omnem
Fama volans, proceresque una, turmæque repente
Demittunt animum adtonitæ, trepidoque pavore
Correptæ, inque fugam (præſertim ubi mœnibus
altis
Ora Ducis cernunt præfixa, arrectaque conto)
Se dant effuſæ, caſtriſque, opibuſque relictis:
Urgenturque adeo, nec ſe ſe opponere ferro
Acribus Abramidis audent, qui terga feroces
Terribili enſe premunt, demeſſaque corpora ſternunt
Per campos paſſim, miſerandaque funera acervant.
Jamque, procul pulſo trepido hoſte, ad caſtra reverſi
Victores ſpolia ampla legunt, prædamque ſub alta
Mœnia convectant longo ordine: vixque diebus
Collectum multis deportat quiſque quod ipſi
Ob-

Obtigit; ac omnes (tanta eſt vis divitis auri)
Ditantur cives, partiſque urbs ampla tropæis
Ornatur claro æternum celebranda triumpho.
At ſummi exuvias Ductoris, & omne ſub altas
Congeſtum pelles aurum, pictoſque tapetas,
Barbaricumque oſtrum, gemmaſque, & ahenea vaſa
Excipit Ozias ſorti, populoque probante,
Omnia Judithæ dat habere, & rurſus ad aſtra
Extollit, donans, virtutem ac laudibus ornat.
Nec minus interea meritas juveneſque, seneſque
Ingeminant omnes grates, perque ora virorum
It nomen late, & ſummi celebrantur honores.
Jamque Joachimus Solymis, ubi cura ſacrorum
Illi erat, ac templi, populique ſuprema poteſtas
Venerat ingentem admonitus, mirumque triumphum,
Egregiamque animi Judith, meritumque canebat
In patriam eximium, & magni decora inclyta facti;
Et ſpolia inſpectans, prædamque, ac ſtragis acervos,
Præcipitemque fugam accipiens, trepidumque pavorem
Hoſtibus immiſſum Oziæ pendebat ab ore
Singula narrantis, Superumque, hominumque parenti,
Juditham laudans, meritos ſolvebat honores.
At nihil ipſa tumens congeſtis laudibus, illas
Protinus æternum ad Numen referebat, eique
Contendens uni grates, præconiaque uni
Omnia reddenda, Illius benefacta canebat.

Judithæ poſt obtruncatum Holophernem, ejuſque exercitum penitus profligatum

EPINICIUM

Cap. XVI.

NUnc agite, o! digitiſque hilares, ac pectine grato
Aurea fila lyræ pulſate; & carmine laudes
Concelebrate novo victoris Numinis, alto
Tollentes cælo nomen, precibuſque vocantes.
Ipſe ſuo omnipotens bella adterit omnia nutu,
Nam Domino eſt nomen, labefactaque trudit ad orcum,
Si velit, ac dulcem demittit ab æthere pacem.
Ipſe, manu hoſtili ut nos in diſcrimine ſummo
Eriperet trepidos, rebuſque, urbique ſalutem
Adferret, medio in populo ſua caſtra locavit
Defenſos præſtans, cædeſque, incendiaque unus
Depulit, ac ſæva terras formidine ſolvit.
Montibus ex altis ferus, & borealibus oris
In nos irrumpens Ductor, peditumque, equitumque
Adducens robur, totamque ſub arma coactam
Aſſyriam, ingenti altorum prærupta replevit
Torrentum numero, curſumque repreſſit aquarum,
Et valles obtexit equis, rapidiſque quadrigis.
Vaſta dabo, ajebat, flammis arva omnia, & urbes
Exſcindamque ferox communi cæde juventam
Cum patribus totam, & pueri, innuptæque puellæ
Aſſyrium in regnum præda haud ingrata trahentur.
Dixerat; aſt omnem, verſis in proſpera fatis,

Terrorem omnipotens, ſtragemque, ac funera in ipſum
Convertit Dominus, ſtratumque immittier orco
Fœminea dextra, & proprio dedit enſe ſuperbo.
Haud etenim bello præſtans, delectaque pubes,
Enſe ruens, illum, aut atrox titania proles
Immani horribiles ſtraverunt mole gigantes.
At Meraris ſoboles oculiſque, oriſque decore
Sola ſuo Judith felici ſuſtulit ictu.
Namque humeris mœſtum, quo ſe viduata marito
Induerat, dudum illacrymans, rejecit amictum,
Puniceumque oſtrum læti ornamenta, decuſque
Temporis, ac textum circumdedit artibus aurum;
Compoſitoque linens nitidum medicamine vultum
Ferro vibratos calido, Syrioque madentes
Rore manu crines fulvum nodavit in aurum.
Tum capiti acceſſit decus ingens lucida mitra;
Plurimaque effulgens per collum inſerta monili
Gemma diu deſueta, & utraque abs aure pependit:
Perque humeros ivit nova palla, novoque paratu
Collecta in nodum, dirum quo falleret hoſtem:
Tegminibuſque pedum auroque, argentoque decoris
Illi avidos oculos devinxit, & indidit ignem
Occultum jecori, ac victum caput abſtulit enſe.
Obſtupuere animo Medi, ſtupuere pavore
Correpti Perſæ roburque, auſumque virile
Mirati, fractiſque animo cecidere trementi
Arma manu Aſſyriis, geliduſque per oſſa repente
Horror iit, celſa cum humiles ex arce ruentes,
Ora ſiti, & fauces exuſti, aſt enſe feroces
Incubuere mei ſimul omnes agmine denſo:
Turbatique Duces, trepidique pavore manipli
Omnia

Omnia plangore implerunt, triſtique ululatu.
Acrius aſt olli inſtabant data terga prementes,
Effuſoſque fuga puerorum more necabant.
Sicque meo pœnas Domino dedit hoſtis acerbus.
Ergo novo grates ſolvamus carmine noſtro
Nunc Domino læti, & laudes uno ore canamus.
Te canimus ter ſancte Parens, cui ſumma poteſtas
Eſt rerum æterna, & nulli ſuperabile robur;
Quique polos nutu, terraſque, atque æquora torques.
Pareat imperio gens omnis, reſque creata,
Quæ ſit cumque tuo, quando omnia tute creaſti
Ex nihilo educta, & verbo mora nulla potenti
Exſtitit effictum quidquid complectitur omnis
Terræ orbis, quodque eſt infra, circumque, ſupraque:
Nec vis ulla tuis potis eſt obſiſtere dictis.
Omnia Te coram præcelſa cacumina nutant
Sede ſua emota, & montes volvuntur aquarum;
Saxaque, ceu flavens juxta ignem cera, liqueſcunt.
At qui ſancta colunt tua jura, & fœdere juncti
Teque tuumque timent venerabile lædere Numen,
Magno illos ſtudio donis præſtantibus auctos
Uſque foves, nulloque ſinis diſcrimine mergi.
Arma meum in populum ne ſperet ſtulta movere
Gens ulla impune, atque odia exercere cruenta:
Ultor enim omnipotens audaci a ſanguine pœnas
Expoſcet meritas, ubi ineluctabile tempus
Venerit, ipſe Deus; ſcelerataque vota, & inanes
Spes damnans ignes in eos immittet edaces
Æternum accendens, rabidoſque in viſcera vermes.

Εἰς Ὀλοφέρνην καρατομηθέντα

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

Νῦν ὦ, νῦν θάρσȣς δέομαι, μένεός τε μεγάλȣ·
Νῦν ἐπικȣρίας σȣ μὲν, ἄριϛε Πάτερ.
Ὡς Ἰούδιθ ὑφειμενέως, κ̀ ὄμματ' ἐς ἄνω,
Καὶ λαμπρὸν ξίφος ἐν χερσὶν ἐχοῦσαν ἔφη·
Εἶτ' ἐς Ὀλωφέρνην ὕπνῳ τ', ὄινῳτε ταφέντα
Ἐμβάλλει δεινὴ ὦπα, φάος τε μάλα.
Καὶ σκάιαν πλεκθεῖσα κόμαις, δεξίᾳ ἐπῆξε
Τὸ ξίφος ἰχύρως, κ' ἄυχενά τοι τέτομε.
Ἀλλὰ ταπεὶς κόρμος μέλαν αἷμ', οἶνον τεν ἐχεῦε,
Καὶ πᾶσαν μιχθὲν ῥεῖθρον ἐδεῦσε κλίναν.
Ἐκκοφθὲν δὲ κάρη, φοβερῶς τε τὰ ὄμματ' ἀνοικτόν,
Παιδίσκῃ παρέδω τριξὶ λαβȣ̃σαν ἔῃ·
Πάντα γε τῇ θαυμαζομένῃ πατρὶ τάξει ἔειπε·
Τῷ δὲ Θεῷ νίκης τὴν χάριν ἔχεν ἅμα.

Idem

IDEM EPIGRAMMA

Latine redditum.

NUnc, o, nunc animis opus eſt, & robore firmo;
Nunc opus auxilio mi eſt, Pater alme, tuo.
Sic Judith ſubmiſſe, oculoſque ad ſidera tollens:
Præque manu gemmis lucidus enſis erat.
Mox in Holophernem ſomno, vinoque ſepultum
Irruit impavido vultu, oculiſque ferox:
Implicitaque comis læva, pro viribus ictum
Torquet, & abs humeris amputat enſe caput.
At fundit truncus vinumque, atrumque cruorem,
Atque rigant totum miſta fluenta torum:
Abſciſſumque caput, oculiſque natantibus horrens
Crinibus apprendit, datque ſuæ famulæ.
Cunctaque miranti patriæ dein ordine pandit;
Cumque illa grates ſolvit, agitque Deo.

IL MEDESIMO EPIGRAMMA

Ridotto in

SONETTO.

DEh or, Padre del Ciel, or forza, e lena
Mi dona in sì grand' uopo, e 'l cor rinfranca!
Così Giuditta, a terſo acciar la bianca
Mano ſtendendo; e l' aura udilla appena.

Quindi a Oloferne, cui ebbrezza affrena,
E ſonno i ſenſi, fiera in viſta, e franca
S' avventa, e 'l crin gli afferra con la manca;
Con la deſtra ſul collo un colpo mena;

Tal che il capo gli tronca, e ſpiccia miſto
D' atro ſangue, e di vin dal buſto un rio:
Poſcia il fier teſchio acciuffa, e 'l dà a ſua
ancella.

Torna a Betulia, e 'l popol egro, e triſto,
Il gran fatto narrando, allegra, e a Dio
Ne dà il vanto, e 'l ringrazia ognun con ella.

IN

IN RINGRAZIAMENTO

Della corteſe attenzione

SONETTO.

E Ne' boſchi guizzar peſci, e fra l' onde
Paſcerſi cervi, e più d' un fiume, e un rio
Dal mare indietro, per ſue vie profonde
Ripaſſando, tornar onde partío:

E 'l ſol rialzarſi ove ſi attuffa, e aſconde,
E 'l corſo ripigliare, cui fornío,
Vedraſſi, pria che in noi ſommerga, e affonde
Sì raro favor voſtro ingrato obblío.

Nè mai, finchè ſpirar dato ci ſia
Queſt' aura, e di noi ſteſſi rammentarce,
Men dolce il rimembrarlo altrui ne fia.

Deh così reſti, quando Lei, che parte
Da' veli l'alme, il noſtro aſſalga, e ſquarce,
Ognor più viva tal memoria in carte!

GLI STUDENTI, CHE RECITARONO,

Sono

I SIGNORI

BErtalazone Gioanni Torineſe.
Bertetti Giuseppe Torineſe.
Borella Filippo da Caſtellamonte.
Brizio D. Gioanni da Cheraſco Conte della Veglia, Cavaliere, e Commendatore della Sacra Religione, ed Ordine Militare de' SS. Maurizio, e Lazzaro.
Casazza Francesco da Monaſtero.
Cottalorda Filippo Torineſe.
Damiano Alessio di Piobeſi Cavaliere Torineſe.
Donaudi Ignazio Torineſe.
Donaudi Cajetano Torineſe.
Durieu' Pierantonio Savojardo.
Filipponi Luigi Chierico Torineſe.
Garnerio Gioanni da Cavallermaggiore.
Gautieri Ignazio Torineſe.
Grimaldi Saverio da Buſca Conte del Pogetto.
Pichetti Alessio Torineſe:
S.ᵗᵃMartino Carlo di S.Germano Cavaliere Torineſe.
Vianzone Vittorio Torineſe.

Perchè

Perchè la parlata di Achiore ad Oloferne, e la riſpoſta di Oloferne a lui, con la preghiera di Ozia a Dio erano già ſtate dette in un' altra Accademia dell' anno 1757.; ſi ſono però recitate in queſta non più latine, ma tradotte, quella in ottava rima, e le altre due in verſi ſciolti. Gli altri Componimenti, che ſi recitarono in tale occaſione, ſono i ſeguenti.

Prefazione Latina detta dal Signor Conte BONIFACIO VALPERGA di Maglione.

La Favola *Mercurius*, *&* *Lignator* parafraſata in verſi latini, e greci elegiaci, e in terza rima.

Cinque altre Favole di Eſopo, eſpoſte pure in verſi latini elegiaci, e in terza rima.

Concluſione, e ringraziamento in verſi endecaſillabi latini, e greci.

IMPRIMATUR

Vicarius Generalis S. Officii.

V. Franzini AA. LL. P.

Se ne permette la Stampa.

Di Pralormo per la Gran Cancellería.

AMM. PROV. DI TORINO
№ 15154
BIBLIOTECA
115355

